SANCTISSIMO
AC BEATISSIMO PATRI

CLEMENTI
PAPÆ IX.

Carmen Panegyricum,

NEC-NON OMNIS SAPIENTIÆ
EXEMPLAR.

Regnabit Rex & sapiens erit. *Ier.* 23.



TOLOSÆ,
Excudebat JOANNES BOVDE, Regis, Comitiorum Linguæ Occitanæ, & Academiæ Tolosanæ, Typographus.

M. DC. LXVII.

CVM LICENTIA.





SANCTISSIMO AC BEATISSIMO PATRI CLEMENTI PAPÆ IX.

CARMEN PANEGYRICVM, Nec-non omnis ſapientiæ exemplar.

Regnabit Rex & ſapiens erit. *Ier. cap.* 23.

LIBER PRIMVS.



CHRISTIADVM Paſtor, triplicis ſanctiſſime Mundi
Clauiger, euectum Reges ſuper, & Capitoli
Inferius ſolô venerabile culmen Olympô,
Quem populi, quem ſceptra colunt, & te quoque noſtræ
Exultabundæ celebrent præconia Muſæ.
Dum Tellus tibi plaudit ouans, cœlumque ſerenis
Vultibus arridet, Gentes Regeſque fideles

Oſcula adoratis dant vectigalia plantis,
Franciſci ſileat tanta inter gaudia proles,
Fida cliens Petri? iuuat & ſua ferre Patrono
Munera, & hunc pedibus ſanctis offerre laborem.
At neque Francigenas decuere ſilentia Muſas:
Hæ tibi Clementi nec-dum, ſua Thura tulere,
Hæ Duce Mommorio cum Mæcenate frequentes,
Præluſere tuis per præſcia carmina Fatis,
Te pictum coluere, tuî ſimulachra verenda
Gallorum in magnam quando Sorberius Vrbem
Intulit, à magnô munus ſibi miſſa Nepote,
Obſtupuit tantos mirataque Curia vultus,
Omina Tarpeiæ ructantes certa Tiaræ:
Quæ tamen in ſcriptis vix expreſſere modeſtæ,
Præcoce ne murex premeretur laude modeſtus.
Mene modò cohibere amimos, calamumque loquacem,
Quos non incendit picti modo gloria Iulî,
Sed totus Clementis honos, impletaque fatis
Quæ prius ingentis fuerat ſpes læta futuri?
Immodicum forſan tenuis mirabere Muſæ
Damnabiſque auſum, nec non timet ipſa, tremiſcit
Tantum onus, incœptum ter opus quaterorſa reliquit,
Deficiens animis. Tandem ſapuiſſe quid (inquit)
Quæritur, vrget amor quandò cordiſque prementis
Imperium? Quandoque ſuas dementia laudes
Nonne habet? In tantô famæ laudiſque profundô,
In tantis ſi mergar aquis, erit & ſua noſtris
Gloria naufragijs, pereunti Nobile nomen
Forte dabit gurges, titulum facietque ſepulchro.
Attamen vt dignè canerem, mens ebria potu

Vt foret, ac totô ructarem carmina Phœbô,
Haud aliàs maiore siti; maiore nec haustu
Fatidicô de fonte bibi, molimine totô
Incubui, vepreta sacri præruptaque Pindi
Ardua, Nudipedem Vatem furor irecoegit.
Ergò cruentatæ saltèm miserere Camœnæ.
Si rea sit, qui fecisti dignare reatum.
Esse etenim ore tuô scriptôque memento probatam,
Dum canerem nuper Lodoïcum ac Lilia Vates.
Indigetem fecit tua laus: est inde superba,
Vique suâ maiora audet. Leuis aura fauoris
Si qua tamen fuerit, faustum qui sidus Olorum
Diceris, & quem fata canunt, si forte benignus
Annueris votis, assurgam & suaue canendo,
Immoriar tibi canus olor, forsànque sonabo
Carmina, apud seros nunquam moritura Nepotes.
Nec me Vate pedem referes, nisi parte locatus
Indigetûm, quâ Gregorios quâ sede Leones
Celsa triumphantis miratur regia Cœli.
Qualis es in totô, qualis quantusque videri
Cœlicolis superisque soles, te nostra tabella
Non equidem referet: terras cælestia namque
Parte sui meliore latent. quod publica vita
Monstrat, & è cœcis prodit non sponte latebris, — Panegyrici diuisio.
Effundam, famæque sequar centum ora loquentis.
Sceptra Virumque canam, nostrô celebrabere versu, — De Clemente dicentur præclara ipsi vix nota.
Iulius & Clemens, Vir primò, postea sceptrum.
Magna tamen de te tibimet, fortasse nec ipsi
Nota canam, forsàn quæ nec sit noscere cura.
Nempe etenim multis fuit haud impunè decôra

In ſua conuertiſſe oculos : vix abſque periclô
Ipſa Patet domino virtus. Pulcherrime rerum
Lucifer, ignotô tibi ſi ſplendore fuiſſes
Clarus, adhuc ſtares, immotaque fata manerent.
Os mentemque Deo ſimilis, ſe vt vidit, & in ſe
Defixit reflexam aciem, flagrauit amore
Immodicô, tantæ perſtrictus fulgure formæ.
Vidit & inſpectû totos excuſſit honores.
Heroas ſummos superûm quos gratia maior
Extulit, immanis caſus perterruit. Intus
Mentis opes ſi quandò vident, ſpectaſſe tremiſcunt,
Prætereunt acie celeri, ne forte morando
Sorbeat incautos arridens gloria ſenſus.

Comparatio. Forma timorato veluti cum ſplendida caſto
Obuia fit, videas trepidum componere vultus,
Lumineque auersô ſpeciem vitare nocentem,
Ne qua lues ad cor ſubeat conſpectibus hauſta,
Et turpis violet tenerum prurigo pudorem.
Cauta Dei ſoboles etenim eſt experta, ſuperbus
Quam ſit homo, quam tuta parumſibi conſcia virtus;
Cœcatur ſplendore ſuo. Deſcenderet olim
Cum de Monte ſacrô Moſes, in fronte nitentes
Quos radios ſpeciemque Dei gens cuncta videbat,
Ipſe erat ignorans. Et te Sanctiſſime Paſtor,
In Clemente modeſta ſui cognitio. Si quandoque volente Deo commercia Cœli
Deſeris, & noſtros facilis deſcendis in vſus,
Circumfuſa caput ſacrum, te plurima lambit
Gloria, ſtat multus virtutum & abæthere fulgor :
Te tamen ille fugit, neque enim profuſa bonorum
Congeries patitur deprendi ſingula viſu :

A blandis

A blandis etiam trepidos ſplendoribus aſper ;
Detorques oculos, humiles ne ſplendida ſenſus
Corrumpant, vanôque terant ſpectacula faſtu :
Quos tacitos ſanctis offers inglorius aris.
Rerum ſumma tenes, ſupra mortalia, Petri
Erigeris ſceptrô, tamen hinc tibi promere Laudem
Mens non eſt : neque enim tua ſunt quæcunque dediſſe
Iactat ſe fortuna, potens Regina. beatus
Dici nemo poteſt per dona precaria. riſu
Excipitur, mendicatæ quem gloria pompæ
Afficit. haud facient Pygmæos ſceptra Gigantas.
Vna ferunt laudem, quæ non concedere Mundus,
Non auferre poteſt, in quæ nil alea fortis
Iuris habet, nec tempus edax ; quibus itur ad aſtra.
Quando fuit Cœli Dominus Terræque, tot altis
Nominibus creuitne Deus ? Ne ſtulta putaret
Plebs hominum extantis ſibi quicquam accedere Regnis,
Tot faciunt Reges & quæ diuiſa ſuperbos,
Reſpuit æternum titulos & ſceptra per æuum,
Abnuit æternos numero ſine condere Mundos.
Extat honos ſuus ipſe ſibi, ſua gloria, nullum
Rebus ab externis Sadaï capit incrementum ;
Sufficit ipſe ſibi. Sapiens tu luce coruſcas
Ingenita, nec ſceptra tuos auxere decores,
Ipſa tuis fulgent. Eſt vt decet æmula virtus
Authori ſimiliſque ſuo : non illa coronis
Exultat, gaudetue opibus, plauſuue tumeſcit,
Eſt proprijs diues ; nec eget mendica ; nec vllô
Creſcit ab adiunctô, diademata, ſceptra, Tiaras
Contemnit, meruiſſe ſat eſt, magis Erigit illam

Non à ſceptrô ſed à virtute petenda laus.

Deus non creuit per ſceptra.

Sub pedibus, celsâ quam ſtans ceruice corona.
Virtus non ſemper abiicit opes. Attamen indulſit ſi ſors quandoque benigna,
Tetrica non ſemper ſpernit, nec habere recuſat,
Non amat, at mauult, ſanctoſque reponit in vſus:
Inde pijs vim conſiliis, inde apta ſuæ arti
Inſtrumenta parat: quoties ſine honore iaceret
Irrita & exanguis, fructu ſine, plurima virtus,
Si ſorderet inops? Nomen tamen haud periturum
Inſignes à naturâ dotes quanti habendæ. Vna dat Heroj, veros vna afflat honores,
Vna facit precium. quod partus nobile fundit,
Quod clarum ac pulchrum nobis innaſcitur, ingens
Vis animi, ad rectos vltronea pondera mores,
Non equidem eſt virtus, & præmia nulla meretur,
At ſpeciem virtutis habet, vultuſque coruſcos
Induit & rutilâ perſtringit imagine mentes,
Suaue facit virtutis iter, mulcetque labores:
Comparatio. Dimidium pietatis habet qui ſemina ſocum
Nata tulit. Tellus vbi fuluô eſt fœta metallô
Aurea prorumpunt patulis ramentula glebis,
Aurea nocturnas rutilat ſcintilla per vmbras,
Indicat occultas proditrix gloria gazas:
Quatenus acciti fodiant opulenta ligones
Viſcera, & incluſum ſolers manus eruat aurum,
Quod deinde innumeros hominum liqueſcat in vſus,
In pompas & ſceptra fluat, fluat inque Deorum
Aras, inque Ioues. Ita quando ad maxima natos
Ditauit Natura parens, quas prodiga clauſit
Intus opes, aperit ſignis, per læta pateſcunt
Auguria, & magni præludia ſplendida fati.
A primis (aiunt) ſpectabilis vnguibus ibas

Magne puer, cunctorum oculos animosque trahebat
Grande quod ostendis primis obtutibus instar,
Spondebatque ducem Cleri Regemque Senatus,
Oris honos sancti, Maiestatisque serenæ
Splendor, & augustæ veneranda modestia frontis.

Clementis naturales perfectiones.

In facie qui tecta legunt, qui nare sagaci
Mentis, odorantur sculptos in corpore sensus,
Iurauere tuos sceptrum portendere vultus.

Præstantia vultus.

Quô cœli positu fueris, quô sidere natus,
Viderit Astrologus: non hæc me cura fatigat.
Isacidas noui geminos, quorum alter iniquæ
Indolis, hirsutâque animi sub pelle ferocis,
Æqui alter rectique tenax, cute læuis, eôdem
Attamen eductos in eandem sidere lucem.
Siue tuos ergò multus perfuderit ortus
Iupiter, & mediā cœli statione refulgens
Phœbus, & alma Venus Saturnia pondera mulcens,
Mercuriusque acer, dextrô quoque Cynthia cornû,
Siue malignantes Ptolomæo iudice Cœli,
Ominibus diris, toruisque aspectibus atros
Incussere metus, quôcumque & desuper astrô
Imbuerint cunas: vt vt est, prudentia fatum
Fecit, & inuitis sapiens dominatus es Astris.

Non inquirit author quo sidere ortus sit.

Clemens sapiens astris dominatur.

Audio mœrentes multos, & multa gementes.
Iampridem Heroûm tempus, tempusque Gigantûm
Transiit, à multis fuimus (Vale gloria) sæclis:
Vix veterum sumus vmbra virûm: Natura senescit,
Effœta est grandæua parens, sensimque fatiscit,
Nec nisi degeneri reparat mortalia prole:
Indolis egregiæ superest vix fomes, hebescunt

Immerito queritur de naturæ degeneris sterilitate cum his tēporibus Clemētem dederit.

Ingenia, inque dies ardor languescit honesti.
O de Natura stultas languente querelas,
Ac sterilescenti! quæ Mundo Rospiliosum
Edidit, ingratis sic fasne lacessere verbis?
Heroas quantos in eô dedit? Omine quantô
Intulit, humanis foret vt sua gloria rebus?
Præteritæ tum si-qua forent ætatis iniquæ
Damna, resarciret, lapsosque nouaret honores?
Soluere debuerant grates pro munere tantô.
Deliquia ac fessæ nescit mala fata senectæ,
Gaudet inextinctâ per sæcula cuncta iuuentâ.
Qui mouet ac fusis per totos viribus artus
Spiritus, intus agit, nec vastæ pondere molis
Opprimitur, iugi nec vis genitalis ab vsu
Atteritur, longi nec fluxu deficit æui,
Semine inexhaustô turget. Non ergo laborat,
Incumbit per lusum operis Natura creatrix,
Exque aliis iucundâ alias nouat arte figuras.

Natura quādoque heroum fœcunda.

Tempora sub Christi, vicinaque tempora Christo,
Illa modum certè suprà fœcunda, fidemque,
Ingentem peperit tantô sub sidere prolem.
Tunc vulgus fuit Heroum: numero sine fudit
Sponsa recens Christi, diuinô semine fœta.
Tunc etiam enixa est immensam docta sophorum
Græcia progeniem, Latiæ virtutis & artis
Visus apex, nondumque sacræ fastigia Romæ.
Quô potuit pulchrô ornauit se terra paratû,

Comparatio.

Aduentante Deo. veluti cum maximus olim
Post domitas latè gentes, orbemque subactum,
Ad Capitolinas victor procederet arces

Augustus

Auguſtus, magni turgens ab honore triumphi:
Tota Duci antiquæ famulata eſt gloria Romæ,
Quidquid ab Occiduis, ab Eois quidquid in Vrbem
Vexerat ambitio, Terræ pretioſa Mariſque
In pompam luxumque dedit, penetralibus altis
Sepoſiti patuere Dii, cum Cæſare diuo.
Ceſſatum at tandem: ſenſim deciſcere Mundus
Degener, heu numquam ad primos rediturus honores.
(Ferre aiunt ſic fata.) tamen deterrima currant
Tempora, non prorſus generoſæ expertia prolis,
Heroas genuere ſuos. At ſicut in auro eſt
Cernere, quod creuit calui inter viſcera montis,
Circumquâque iacet quæcumque, eſt arida latè
Ac ſterilis Tellus, deſertis horrida campis,
Et gregibus raram præbens currentibus herbam:
Scilicet exucca eſt; etenim magnetica totum
Sal, ad opus magni traxit Natura metalli.
Poſt illaudatos Heros ſic aureus annos
Exoritur populis, abeuntem inamabile ſæclum
Conſequitur, ſterili ſpatiô, lugetque ſepultum.
Temporibus noſtris eſt & ſua gloria: priſcis
Addidimus noſtra haud ſpernanda. impone Giganti
Pygmæum ſublimi humeris, geſtantis hìc vltrà
Longam aciem celſoſque oculos ſua lumina victor
Proferet, ingentique dabit documenta magiſtro.

Modo naſcuntur pauciores Heroes, explicatur eleganti comparatione.

Prodigium & nullis opus haud memorabile ſæclis,
Omnia Te, charumque Deo caput ora loquuntur.
Non ſola exultant Capitolia, ſola nec in Te
Roma ſtupet tantô cumulatas Numine dotes:
eſt totus tantô Mundus de ciue ſuperbus.

Clemens mundi decus.

Nescis sanctè Parens, nescis fortasse, nefanda
Hæresis, in Petri furiis accesa Nepotes,
Ipsa tibi plaudit, môrumque euicta nitore,
Esse tuæ fidei sanctos inuita fateri
Cogitur & sensus, Te suspicit vt Clementes
Vtque Linos, priscæ sanctissima nomina Romæ.
Quem Deus à primô Fatis ingentibus ortu,
Consiliisque ad magna parat, super omnia menti
Prospicit ingenioque Viri, præsentius afflat,
Æthereis implet radiis, miráque laborans
Arte domum mentis fingit caput, intus vt ardens
Sese agitet per Dædaleos lux ritè meatus.
Omnis quippe boni verum est fons, semina laudis
Hôc à fonte fluunt, capit hinc exordia virtus.
Cœpit ab implendô diuina luce cerebrô
Nonne Deus, quandò Æthereos infudit honores,
Omnibus & numeris primæum absoluit Adamum?
Non ossa est primos cordis regione labores
Ignea lux, in discipulos delapsa precantes,
Ex vili turbâ Proceres factura supremos,
Insulsit capiti, summôque in vertice sedit,
Vt soliô Regina suo: dein Lumine fusô
Cœlica per totos incendia miscuit artus.
Heroum exuuias & magna cadauera, ferrô
Qui rimantur, vt inspectis Sint siqua latebris
Natura insoliti quæ fecerit ordine ludi,
Peruideant: cunctis perhibent non occiput esse
Structum iisdem fictumque modis similique figurâ
Inuentosque nouos cerebrosâ in parte recessus;
Expers fæcis vbi supra mortale nitescat

Spiritus, & purô mens gaudeat ardua verô.
Summe virûm Heroumque Decus, quâ finxerit arte
Quâque tuum nouitate Deus, scit nemo: nec, oro,
Quisquam oculus Monstrum nisi seris viderit annis.
Scimus at immensam capitis penetralibus altis
Includi, ac superô saturatam lumine mentem.
Noscitur ex radiis, omni splendescit in actu,
In factis etiam leuibus leuibusque loquelis
Emicat, vt multô est Tellus vbi plena liquore;
Miscuit à primâ quam factor origine, passim
Tota humet, laticesque notaut humentia clausos
Gramina, perque pedum expressi vestigia rores.
Nec modò per patulos eructans vnda meatus
In fontes it & in fluuios, lateque peragrat.
Hæc veri tibi monstrat iter, cæcosque recessus,
Arcanosque modos, si quâ est caligine fuscum,
Hac face defœcas, veluti qui spiritus hæret
Corporeæ moli, chymicæ secernitur artis
Ignibus, aut scoriâ spurcum purgatur vt aurum.
Hâc sine, quam sterilis studii labor! irrita quàmque
Tentamenta animi! manet altô gurgite mersum
Inuestigatum, fuerit nisi præuia, verum:
Nec nisi mendaces haurimus mentibus vmbras.
Futilis inuitâ cura est sudasse Mineruâ.
Illi consimiles per mille pericula Ponti
Qui sibi quærit opes, & onustâ in naue reportat
Nil nisi mentitos aurum atque adamanta lapillos,
Inscius in portus, latè per somnia diues:
Attamen aduecti falsô splendore metalli
Erigitur, fictæque exultat imagine prædæ.

Clementis Summa mens.

Sors eadem nostra est, scioli scrutamur ouantes,
Atque sciendarum percurrimus æquora rerum,
Nec nisi pro rebus Laruas, & inania veri
Nomina, verbosas errorum in scrinia moles
Congerimus, tumidosque facit, quod ferre pudorem
Debuerat. Te non deludunt fascina rerum,
Ingrederis, facilisque subis, tenebrisque sepulta
Eruis, inque diem reuocas. seu nubila quandò,
Exhalat quæ nigra palus, Aquilone fugantur
Abstergente, redit facies tum lucida cœlo
Cæruleusque nitor. non certa & nescia sciri,
Diuidis à certis, verò sua cuique notatur
Meta, suusque gradus. Quod honesti nobilis ardor
Ignorasse vetat, quod celsæ gloria mentis
Nosse iubet, summique decet fastigia Fati,
Amplâ mente tenes. Tibi vix ignota recludet,
Fatidica & doctrix nuper concessa Tiara,
Luce nouâ quod iam notum est perfundet, honores
Cœlitus infusos addet, laudemque Magistri.
Rerum diuinarum & sacrarũ scientia. Scire Deum Christique labor mysteria primus,
Verba Dei, Patrum sensus, Ecclesia magnos
Quos colit, & sanctæ iura atque Oracula Sedis,
Præsulum adunati quidquid sanxere Senatus.
Tota tibi demum studiis exhausta vetustas,
Tota Dei Christique seges. stant in numeratô
Omne verum habet Clemens in numerato. Singula (tantarum est immensa vbi copia rerum).
Dogmata, responsis quæsita ad magna paratis.
Astriferô veluti fulgentia sidera cœlô,
Ordinibus digesta suis, quócumque vocarit
Lex mundi, rerumque salus, lamentaque Terræ.
Præsto

Presto sunt & opem præstant. nec sola iuuentam
Sacra tuam & virides doctrina exercuit annos:
Te non sacra etiam plenô sapientia cornu
Imbuit, & menti totâ se luce retexit.
Quod docuit Sragira, tuum est, quod stoa, Platoque,
Argiuæ ac latiæ penetrasti arcana Mineruæ.
Omnis homo es, sapiensque omnis. Sic antea gentem
Quàm regeret sanctam, summus Dux atque Sacerdos,
Nota Phari fuerat magno sapientia Mosi.
Omnis sic magno fuerat sapientia Christo.
Sic sapiant qui sede Dei soliôque locantur.
Cuncta sciat qui cuncta potest. Præscribere Mundo
Non decet ignarum mundi, pudeatque regentem
Mendicata suæ prompsisse oracula genti.
Nec mala nesciri fas, nec mendacia, & ipsa
Fabula obumbrato sua per proludia vero
Profuit. est Medicus qui toxica pessima vertit
Arte suâ, in nostris medicamina congrua morbis.
Impia sic sapiens rectos componit in vsus,
Obsequiis fidei sacrat, Christique triumphis
Inserit. impia nec cense, quæcumque sophorum
Impia turba refert. Multum nec inutile verum
Inter falsa latet: preciosi fulgurat auri
In fœdâ errorum promiscua lamina fæce.
Hæc Christi est, hanc sancta petunt Æraria Christi.
Eduxere pii quondam artifices, Ecclesia cautos
Quos habet; inque Dei sponsæ duxere decôrem:
Nec fuit indecoris cælesti bractea vesti.
Desuper est omnis lux, nec contraria luci
Altera lux, manant ab eôdem fonte sorores,

Litterarū etiam non sacrarum absoluta scientia.

Mali, quin etiam falsi scientia vtilis.

Sancti Patres rerum prophanarum notitia vsi sunt ad stabiliendam fidem.

Inque vicem sibi opem fraternô fœdere præstant.

In Clemente dominatur ratio, non authoritas & nomen magistrorum.

Nec Te turba frequens, veterum nec magna virorum
Nomina, nec multô schola trita sonansque tumultu
In sensus egêre suos. es ponderis expers
In sectas hominumque choros, nec amica sed æqua
Cuilibet aut renuis vel das suffragia Iudex.
Ante daret summum quam Roma in sacra tribunal,
In non sacra dedit ratio, mens arbitra rerum,
Humanos superans captus, contermina Cœlo.

Scientia rerum politicarum, de quâ fusius in gratiam Italorum.

Est ars humanas inter celeberrima curas,
Artium & ars, ciues rectâ ratione regendi.
Omnia scrutatur mortalia, prouidet Orbi,
Fortunasque facit populorum ac fata: volutat
Sæpe, quod occultæ creduntur voluere Parcæ.
Est sapientiæ apex altissimus: est dea certè
Ausonidûm, Capitolini certissima proles
O Iouis! ô summi soboles diuina cerebri!
Assyriis quondam fuit illi plurima templis
Ara, nec haud placiti, quos olim Persia magnos
Græciaque imperiis florens sacrauit honores,
Attamen his vnquam stabilis consistere terris
Haud potuit voluisse: fuit mens semper, eundi
Italiam, magnæ soliumque capessere Romæ:
Seu loca, seu Diuæ, Genii sedere locorum,
Sideraque & Phœbi vultus, Vestæque fauores:
Seu fatis quia nempe ratum, populus foret olim,
Numinibus diuæ magnis penetralia templis
Poneret, & totâ qui thura adoleret acerrâ.

Politice magna Dei ars & Regum.

Est & magna Dei ars: violentô arbitria raptu
Mens quocunque foret, trahere, & luctantia durô

Compressisse iugô potuit Deus; attamen arte
Maluit illexisse, inque suos vltronea sensus
Inflexisse: illô ostentatur tota theatrô
Gloria, & inuicti Ducis inscrutabilis astus.
Hæc eadem Regum laus est, at rara. Leones
Palpanti mulsisse manu, Tigresque iugales
In pompam magni curru iunxisse triumphi,
Promptius, humanæ mentes quam vertere turbæ.
Impatiens fræni est, aureas quoque mordet habenas,
Multiplex animal, variumque homo. nec sua tantum
Cuique fera est, tot habet rictus in corde ferinos,
Monstraque tot, quot habet flammas à carne furentes,
Aut à mente malâ, stygium quam perculit œstrum.
Artibus his tamen antiquæ se gloria Romæ
Extulit, & totum posuit sub legibus orbem.
Mortalis generis decus immortale, Nepotes
Romulei, vos nulla ætas, vos nulla tacebunt
Sæcula: & æternâ stabunt Capitolia famâ.
Imperium terris, animos æquastis Olympo.
Psyllorum genti similis Romana. feracem
Anguibus ac monstris Lybien colit illa: nec horret
Lethiferas pestes: dedit & natura stupendum
Imperium, in nullis superandos viribus angues.
Scilicet à tectô medicatis ignibus arcet,
Inque suas latebras trepidos fugat, irrita Psyllus
Vulnera, & innocuum cantu facit esse venenum,
Murmure lethales tacitô compescit & iras,
Blanditusque manu, cicures impunè volutat.
Sic Romana fuit quondam gens vna, ferarum
Serpentûmque potens totâ tellure domitrix;

Ars difficilis & rara.

Laudes veterum Romanorũ qui hâc in arte omnes superauerunt.

Comparãtur cum Psyllis serpẽtûm, incantatoribus.

Consilioque magis quam vi: feritatis & iræ
Oblitas vltrô, misit sua sub iuga gentes.
Maiores Psylli magicis, exercuit artes.

Summariū politices veterisRomæ.

Hostibus ex victis magnos fecisse Quirites,
Barbaricæque suas pubi indulsisse curules,
Ars Romana fuit: magni ad consortia fati
Compellasse, arcto conclusas limite gentes,
Fœlices fecisse, sibi per fœdera iunctas,
Neue sui quenquam casus, sortisue pigeret,
Ars Romana fuit. captos humilesque Penates
Obsequiis lenisse piis, templisque superbis,
Et Capitolinâ Iouis Hospitis arce locasse;
Religione, fide, pietate hominesque deosque
Obstrinxisse sibi, sceleri decernere pœnas,
Nec nisi virtuti meritos concedere fasces,
Ars Romana fuit. Tantorum exultet auorum

Roma vetus habuit Imperium mūdi temporale, noua spirituale.

Posteritas. hodie tu equidem, quod viribus olim
Armorum ingeniique, orbis tenuere cacumen,
Maiores ô Roma tui, non robore eôdem,
At non sorte minus faustâ, pietate, sacrâque
Religione tenes. neque & hoc sine numine diuûm:
Imperium sine fine datum. de sanguine creti
Psyllorum, sunt hæredes splendoris auiti,

Etiā plebs Romana& Itala in politicis erudita.

Et gentilitiâ domitant virtute dracones.
Ausonidûm laus est eadem, quæ gloria Patrum,
Non perit in natis: fluxit cum stirpe, parentum
Conciliandi animos solertia, blanda per oris
Carmina mulcendi, suaque in mandata trahendi.
Est vbicumque loci consederit, imperiosus
Romulides, quas regni artes, quos indidit ignes,

Quos

Quos natura animos, non hos extinguere possit
Barbaries, multos in gentem effusa per annos,
Æui degeneris non vlla abolere vetustas.
Plebis & illius quondam quæ fata creauit
Regibus, & fixit cum magno iura Senatu
Quæ superest priscâ fæx se fert indole, Rebus
Est etiamnùm hodie magnis intenta, geritque
Mente graues mundi curas: dum semina iactat,
Dum transmittit acum, campos dum vomere vertit,
Audiat vt narrantis hians qui transit ab ore,
Quô Regum fortuna loco? quô sceptra regantur
Sidere? consiliis quibus orbe aulâque potentes
Ac meditamentis? quæ pax; quæ bella? ligones
Linquit & incœptos labor obliuiscitur agros.
Hac de gente satum Te gaude, altriceque Româ,
Maxime Vir. nonnulla tui est hæc gratia fati:
Profuit. in mediis castris quos fudit & armis
Torua parens natos, Mars diligit, hos fouet horrens
Sanguineô Bellona sinu; his Mauortia surgunt
Pectora, bellacesque animi: sunt inter adulti
Pugnas & cædes, Galeasque ensesque cruentos
A puerô teneris contrectauere lacertis:
Inuictos tandem sic sensim hausêre furores.
A primis latiâ vesci quibus vnguibus aurâ,
Contigit, & cautæ penitus conuiuerè genti,
His etiam affulget lux defæcatior, altæ
Crescit mentis honos; Tiberis, Capitolia, colles,
Grande quid & priscæ spirantia rudera Romæ,
Nescio quos indunt stimulos, contagia per quæ
Nescio, perfundunt veterûm splendore Quiritûm.

Gratulantur Clemēti quod natione Italus. Romæ fuerit educatus.

Singularis prudentia in rebus gerendis, in amplissima rerũ diuinarum & humanarum cognitione fundata

Hausta solô tantô ac cœlô, Heroumque feraci,
Semina fouerunt aliæ ciuilia gentes.
Nota tibi est quæcunque iacet, quôcunque sub axe.
Omne tibi præsto est æuum : tempusque locumque
Transgrederis : superûm te adytis & sensibus infers
Arduus, æternasque exploras sedulus artes.
Acta hominum, mores, vsus, moderamina, leges
Mente tenes ; exempla notas, quæ plurima normam
Conficiunt, idemque iubent habeatur vt ordo
In paribus : mundum attendis magnum esse Theatrum;
In quô mutatis & non actoribus iisdem,
At tamen humanæ redeunt spectacula vitæ
Penè eadem : si quæ variantur stantia circum,
Distinguis, miscesque nouâ quid lege, statutis
Ordinibus : se se hinc omnes diffundit in actus,
Ritè gerendarum fœlix prudentia rerum.
hinc & in omnigenos præsens tibi regula casus,
Argus mente, manu es Briareus, ad cuncta paratus ;
Mille modis doctus praui vitare pericla,
Mille modis doctus nocuas auertere clades,
Et totidem quoscunque viis pertingere fines.
Vincula difficilis nodosa & gordia causæ
Soluere, & innexas patiens euoluere tricas,
Expediat quid in ambiguis, quò vertere se se,
Vrget opus quandò, transitque occasio præceps:
Conscia præteriti, sic sunt præsaga futuri
Pectora, & in cœcô facilis prospectio casu.

Admiranda Clementis modestia in ferenda sententia.

Nec tamen inde tumes, ita quos natura beauit,
Quos absoluit & ars, temnunt aliena superbi,
Lumina, censentes dedignanturque peritos :

Nec ſenſus niſi ferre ſuos, ructata ſuôque
Numine, ſedandis oracula credere rixis.
Vnos ſe reputant ſoles. fugat omnia late
Sidera Sol ortus, reliquoſque eliminat ignes,
Nec niſi ſe totô patitur ſplendeſcere cœlô.
Sic doctos gaudent illi maiore minores
Obruere, & ſubitas ſplendore creare tenebras.
Dulce adeò eſt, luxiſſe magis, palmamque tuliſſe, Nota.
Multus vbi ſapiens totô contendit agone,
Inque ſuam legem victos rapuiſſe ſodales.
Celſa triumphali quam ter Capitolia curru
Poſt debellatos orbis ſcandiſſe Gigantas,
Maluerit magnæ lucis ſibi conſcia virtus.
Nec ſe maiori fert gens humana triumphô.
Eſt animi ſummum volupe, eſt inuicta libido,
Vrit & hæc forsàn ciues prurigo ſupernos.
Heroas quantos in ſumma pericula miſit
Tantæ laudis amor! lethi, ferrique doloriſque
Excuſſere metus, fera per ieiunia fauces
Diſcruciant; veneremque horrent, aurique pedique
Contemptu calcante, iacet ſupciata cupido:
Haud tamen obtineant, ſemel vt concepta, refellant;
Quàmque ſuæ malint alienæ accedere menti;
Irreuocabilibus figunt ſua dogmata verbis:
Non ab opinati firmâ ſtatione tenaces,
Solemnis moueat magnæ ſententia Romæ.
Tantus in hâc ardor, tanta eſt conſtantia pugnâ:
Te licet implerit totâ prudentia cornu,
Nec niſi conſpicuas effundas mente Mineruas,
(O laudem egregiam!) clamat te fama Minorum

In placitos ſenſus, humili deſcendere greſſu,
Nec ſemper tibi viſa, ſequi. ſic ceſſerat olim
Vide Exod. cap. 18. Magna illaudato Moſis ſapientia Iethro;
Cui Deus ipſe fuit ductor, monitorque, ſuôque
Ore loquens facie ad faciem, documenta magiſtri
Barbarici non erubuit, dignumque putauit
Moſe, bonam mentem, quiſquis foret author, in vſus
Impendiſſe ſuos. etenim deſcendit ab altô
Numine, lux quæcunque: Dei nec ſemper ab ore,
A Tripode, aut Arcâ, non deceptiſque Prophetis,
Expectanda ſalus, ratioque haud læua regendi.
Cœli eſt interpres quandoque, & lingua monitrix,
Vilis homo: à ſtolidâ didicit Balaamus aſellâ.
Nec ſibi ſat ſemper ſapiens ſapit, aut ſapuiſſe
Se putat; interdum deliria, faſcina, lapſus,
Vide Gen. cap. 27. Tuta, ſibi haud fidens etiam timet: abdita fata
Natorum, gentiſque ſuæ, dum cerneret olim,
Funderet & certus diuina oracula Vates;
Præſcius Abramides, laiuâ præſente Iacobi
Fallentis deluſus erat: fugêre Prophetam,
Contrectata manu ficti ludibria nati.
Politici multi ſpeculatiue docti tamē inepti rebus gerendis. Eſt & prætereà ſapientes cernere multos,
Quos latet antiquæ nil pulchrum & grande Mineruæ,
Quidquid in Imperiis geſtum, cautumque; Lycurgi
Atque Numæ ſenſus, ſtagiritæque profundos
Hauſerunt vigili curâ; reſpublica fulcris
Stet quibus, atque eadem, quibus inclinata fatiſcat:
Cuique quid aptum ſit genio: quâ ſpeue, metuue,
Illice quô verbô, in noſtros ſit ductilis vſus.
Nec ſatis eſt terram complexos eſſe: ſupernas
Inuaſere

Inuaſere domos Superûm, ſtudiòque ſuperbô,
Cura peragrati fuit inuia quærere Cœli.
Humanas in res, celsô quid ab æthere manet,
Quæ facies cœli det proſpera, ſoſpitet orbem,
Quæ ferat exitium populis, & ſæua minetur,
Quâ face ſeditio ardeſcat, quô ſidere Gentes
Excutiant ſeſſoris onus, quô dura lubentes
Iuſſa ferant, rigidis habiles parere lupatis.
Cœteraque æthereô quæ ſculpta putantur in ære.
Iura docent Regum, populorum, arcana reuelant
Sceptrorum, ſcelera, inſidias, meditamina, caſus;
Ructantes paſſim Tacitum, crudumque vomentes,
Dixerit auſcultans, Ianos veniſſe Bifrontes,
Aut Iouis è cerebrô doctas prodiſſe Mineruas:
Sæpe tamen tantam ſequitur labor irritus artem,
Non ſapiunt niſi de cathedrâ, ſunt cætera, plebes.
Occipite in memori lucubrata reponere priſci
Temporis, haud durum eſt, & grandi condere librô,
Dogmata magnorum qui præceſſere Sophorum,
Id poſſunt ſtudii Proceres, ludique magiſtri,
Veruecum in patriâ, craſſoque ſub aëre nati.
Dicunt de bello imbelles, armiſque togati,
Aſt indiuiduas maturô expendere cauſas
Conſiliô, vrgentes iamiamque euadere caſus,
Hoc opus, hic labor eſt. Vni quos alta ſagaxque,
Mens agit, & fauſtô Tegeaticus erigit ortu,
Heroes potuere. Vides quandoque celebres
Vt medici fundunt Latiâ Graiâque loquelâ;
Trita ſenis quicquid docuit ſapientia Coi,
Nec tamen hunc nôrunt, vt in hoc eſt corpore, morbum,

Ignotoque iubent medicamina noxia morbo;
Nota. Quam sed enim ad votum vaga mens & libera finxit
Effigiem, ac sensu solers secreuit ab omni,
Non eadem est concreta rei, perceptaque visu:
Sæpe improuisæ prodit sub imagine formæ.
Hos ita prudentûm specie tituloque tumentes;
Fallit opus variisque haud mens exercita rebus:
Dum circa ideas, leuis & sine pondere ludit,
Non nisi læta videt, facilemque sequentia ductum,
Spes alit, exturbatque metus, figmentaque blanda
Amplexatur ouans, iam iamque tenere putat rem.
At cum tempus adest manuum, tempusque laborum,
Non eadem scena est, quantum mutatur ab illâ,
Quâ iucunda dabant dulces spectacula laruæ!
Induit ignotos vultus, aliisque repentè
Dissimiles; horretque repens prudentia monstrum.
Cerea res animo, manibus fit ferreu. prodit
Ante latens, multus subitusque superruit hostis.
Ante tubam fausti faciunt sibi somnia Martis;
Non melius positas habuit Pharsalia turmas,
Iamque volutatur quasi parti cura triumphi,
Ast vbi non ficti ventum est ad prælia belli;
Non prospectorum facies inopina laborum
Surgit, & inspectum vertit meditate periclum.
Ingeniosa comparatio. Ludicrâ veluti cautus certare palæstrâ,
Quandò quis aduersum vadit securus in hostem,
Pugio cui dextrâ, gladius micat ecce sinistrâ,
Non expectati turbatur sorte duelli.
Quid faciat? tremit artubus ilicet, eripitur cor
Deliquiô gressu labat, ad dextramque paratæ

Fruſtrà tentatô miſerè cadit artis in vſu.
Res adeo humanas variant diſcrimina: vultus
Cuique ſuus, fatumque ſuum. fœcunda bonorum
Singula diſſimili poſuit natura figurâ:
Nec minus effusô ludit fortuna theatrô:
Multa dies aperit, quæ non videre priores.
Omne quod eſt facinus, tot ſe ſe vertit in ora,
In lucem remeat quoties, modo dempta figuram,
Nunc faciunt adiuncta aliam. quos ſedula rerum
Inſtruit, & longô experientia perficit vſu,
His vnis ſapuiſſe datum eſt; dum mentis odora
Vis ſciat aggeſtas ſtudioſa in ſerinia gazas
Concoquere, & cautos ſolers excerpere ſenſus;
Florilegæ veluti campos vbi vere ſerenô
Deprædantur apes, lectiſque aluearia ſuccis
Impleuêre, modis miris ſua mella laborant.
Hac ſine, nec ſceptrum rector, nec nauita puppim,
Non auriga ſuos currus impunè gubernet.
Hac ſine, vix ipſæ ſapiant ſine corpore mentes.
Deſipuere aliàs (iuuenes audite ſuperbi,
Turba rudis ſceptri atque pedi, grandiſque Mineruæ,
Ambitioſa tamen), veri ſplendore coæui
Ingenitô plenos, luciſque in gurgite merſos;
Nil latuit, quodcunque foret nouiſſe decôrum:
Attamen in cœlum culpæ malus abſtulit error,
Æternæque dedit malè ſpes concepta ruinæ.
Vt non tanta foret dementia forte; recentes,
Si minus in mundô, expertæ quandóque fuiſſent,
Inſideant animis quantæ cæleſtibus iræ,
Vidiſſentque reos, immotâ lege priores,

Experientia ad prudentiam quam neceſſaria.

Acquiſitio prudentiæ confectioni mellis comparata

Nec Angeli abſque experientia prudentis.

Non extinguendæ passos incendia flammæ.
Forte repressissent animos spectata superbos
Funera, & attonitis vlulatûs auribus hausti.
Fecissent forsan aliena pericula cautos.
At proh, à cunis ineunteque protinus æuo,
Absque rudimentis, absque exemplaribus, vsus
Absque magisteriô, summis incumbere curis,
Voluereque æterni suprema negotia fati,
Æthereæ genti fuit haud vitabile: tandem
Prima. haud experti persona fuere theatri.

Prudentia non nisi in senibus multa expertis.

Sola regat regnum vel Regem experta senectus.
Pauca est mens, vbi pauca ætas. perfecta, repente
Nec subitò effundit Natura animalia partu;
Per longas in ventre moras effingit, & ornat.
Arte laboratur tardâ, mirabile quicquid
Ars facit. ex fuluô fusoria forma metallô,
Quos promptô dedit igne Ioues, simulachra fuere,
Ex aurô preciosa suô, suspecta sed ortu
Numina culturis, & maiestate recenti.

Exod.c.32

Quem fornace Deum celeri formauit Aaron,
Non Deus, at vitulus fuit aureus. hoc duce stulti
Abramidæ, in Pharij remeassent vincla tyranni.

Antiquus dierum sedit & Capilli capitis eius quasi lana munda. Dan. 9.

Consecrat & superos ætas: si quandò Prophetis
Ipse Deus visus, senij decus addidit ori,
Et capiti æternos canorum insperfit honores.
Ergò procul sceptris iuuenes. vt musica tractans
Instrumenta, rudis fuerit disperdere tyro,
Quippe fides digito rumpitur vrgente, sonosue
Cogit in insulsos, fastiditosque peritis
Auribus; ad clauum sic regni euecta iuuentus

Vix

Vix sapit, & multas facit vsu haud docta ruinas.
Nec mihi Alexandros, Pompeios, non Lodoïcos,
Scipiadas, atque Augustos in flore Iuuentæ
Extuleris, sed mente senes: miracula sunt hi,
Non exempla Duces: Te si pepetisset in ostrô
Summe virûm, sceptrique in spem, non cœca nec exlex,
Sed iusto fortuna fauens: non indigus annis,
Imberbis poteras leges præscribere mundo,
Regnantisque implere vices. at dextera claues
Gestatura, Petro voluit quas credere Christus,
Iam vetulo, positi violandô haud ordine moris,
Expectare moras reuerendi debuit æui.
Nequa nisi canum tegeret caput infula, priscis
Temporibus solemne fuit: quos fecerat aptos
Mens matura pedo, populi clerusque legebant,
Staret vt ad sanctas præsul tornatilis aras,
Ad summos gradibus sensim scandebat honores.
Inde viro decus Imperii, multusque colendæ
Maiestatis honos, vocis, iussique, precisque
Pondus, & in promptu dicendi copia iuris.
Inde seges virtutum ingens. vbi transiit ætas,
Fœta procellarum, tempestatumque iuuentæ,
Exoritur tranquilla quies, mentisque serenum,
Nubila diffugiunt falsi, verumque diescit
Splendidius, captatque suum sapientia tempus.
Quod superest vitæ, breuius, mundique suique
Inspectæ speculo turpes fastidia rugæ
Ingeminant, non vana iuuant, non ardor habendi,
Non epulæ, grauis est luxus, grauis Aula, placensque
Sobrietas, castique tori, contempta voluptas,

Clemens iuuenis regno par

Papæ non nisi senes eliguntur

Olim etiã non nisi seniores Præsules eligebantur.

Manus eius tornatiles Cant. c. 5.

Nota.

Estque voluptatum summa, haud eguisse, voluptas.
Pro grege, pro Christô dulcis labor, vnica cura,
Vna fuit sanctis vetulis formido, cruenti
Laurea ne lethi fugeret caput, immeritumque
Ignauô caderet corpus sine vulnere fatô.
At modo per saltum veniunt ad culmen honoris
Sæpe rudes. miserum! sic poscit Curia, duræ
Res vrgent, cogunt mala tempora, degener ætas
Linquit & antiquos mores; vsusque subintrat
Sequior. ô quantæ clades! ô quanta malorum
Nomina! non olim grauior fuit orbe ruina,
Cum puer æthereas Phaeton tractaret habenas.
Non ita cum Romæ Legitur caput Vrbis & Orbis,
Excluduntur ab hac iuuenes. arcentur & vrnâ
Fulmina vibrarent non sat moderamine cautô.
Consilium nec enim est iuuenum, patientia non est.
His tamen est priscæ dominata potentia Romæ,
Creuit & imperij surgens ad sidera moles.
Iisdem etiam sanctæ stet laus & gloria Romæ.
Ex quò te cœtu distinxit sacra prophanô
Relligio, tonsumque caput: non otia segnem,
Non mollem lusus eneruauere Iuuentam.
Omnibus est altis mens celsa exercita curis,
Egregias quascunque operas Ecclesia magnis
Et magnas in spes natis, commendat, obisti
Maior eis semper: suprâque negotia, vires
Ingeniumque viri: cœli par arduus Atlas
Ponderibus. fatumque fuit, quodcunque gerebas.
Sæpe peritorum rés intractabilis, artem
Exuperans, confundit opus, perditque labores.

Vide Mac. lib. 1. c. 8. vbi in laudem Romanorum dicitur. possederunt omnē locum consilio & patientiâ.

Clemens quibuscumque negotiis par, etiam supra negotia.

Nusquam nulla Tibi non paruit: exuit omne
Asperum & hirsutum, simul in tua pectora cura
Ingreditur, faciles & te capit auspice vultus
Artifice exultat tantô: dat nobilis omen
Dextera: vt indomitum sub durâ incude metallum,
Quod steropes Brontisque manus & brachia lusit;
Flamma tamen superat, liquidas dum mollit in vndas,
Vtque fabro placuit, formas disponit ad omnes:
Includuntur enim vasis; quasque ista figuras
Intus habent, recipit liquefacti massa metalli.
Haud tractabilium rerumque hominumque rebellem
Duritiem; & luctans subigit sic ignea robur
Mens tua, & haud dubiô peragit tentata triumphô.
Si qua suis tua cœpta carent successibus, obstat
Iupiter, & totô pugnantia Numina cœlô.
Publica qui curant, aliis; & res sua cordi
Esse solet, iustum fas estquè reponere quæstum.
Hesperiâ cùm quondam ageres legatus in aulâ,
(Egregiam laudem!) blandis vbi copia nummis
Tanta fuit meritos impunè implere labores;
Quis fuit in Zonâ redeunti ad propria census?
O semper rerum pro Christô oblite tuarum
Exhaustis loculis in egenos Româ reuersum,
Paupertatate piâ sanctè est mirata superbum,
Mendicum stupuitque suum; non erubuisti
Damna breuis census, & honestos deesse paratus
Fortunasque domi, sat erat tibi magna supellex,
Res egisse Dei. Sic ad Capitolia quondam
Roma triumphatô remeantes fortiter aurô
Fabricios Curiosque suos suspexit, egentes:

Clemens in negotiis quæ gessit, sua non quæsiuit. Exemp.ũ singulare.

Postque habuit victis hostilia funera nummis.
Augurijs ex tunc magnis, extincta notari
Cœpit auaricies; extunc fuit omen, in auris
Imperitaturum dominos, qui spreuerat aurum.

Eloquentia sapientiæ adiutrix.

Adiutrix mentis, consummatrixque laborum;
Est dea, magnorum promotrix consiliorum:
In labiis solium est, in lingua gloria sceptris,
Regibus est maior; qui Romam orbemque subegit,
Cæsaris, altera vis fuit olim; ensisque secundus
Militis armati rabiem, populosque furentes
In bella & cædes, verbô compescit inermis.
Est dea compta quidem multumque induta decôrem,
Vt placeat; sed non mentitis comptula fucis,
Nec mendicatis à futilis arte sophistæ:
Seria, & ornatûs tantùm studiosa pudici est.
Imperiosa placent, animisque imponere legem
Congrua. non equidem est sine floribus, & sine mundo:
Ipsa sibi mundus suus est, hortusque, suum ver,
Sub pedibusque deæ flores nascuntur euntis,
Sponte suâ, Numénque, pedum vestigia seruant.
Ante sibi quam Te legerent Capitolia Regem,
Fecerat hæc; quâcunque potens loquereris in Aulâ,
Auribus atque animis vbicunque infundere blanda
Verba datur, sensusque graues; imponis vtrisque
Obsequii legem: veluti syluasque ferasque
Cum traheret quondam fidium modulamine Vates.
Te taceant coram Cyneæ, magnique Cethegi.
O si te Curiis voluissent fata coæuum!
O si stante ferox dum maiestate Senatus
Iura daret, dum prisca fides pietasque manerent,

Vidisset

Vidiſſet Te Roma ſuum, & ſua fata iuuantem,
Teque Togatorum decoraſſet purpura Patrum!
Flexanimô quantos retuliſſes ore triumphos!
Rectorem mundi rexiſſes voce Senatum.
Concordes animos, & amicæ fœdera pacis,
Suaſiſſes Marioque truci, Syllæque cruento:
Nec ſocer in Generum pugnans ciuilibus armis
Iſſet, & indomitis poſuiſſes fræna Tribunis.
Sed Te cura Deûm potior melioribus annis
Diſtulit, & ſeræ voluit ſplendeſcere Romæ.
O ſi dum te terra tenet, collecta veniret
Præſide te coràm, ſolemni Eccleſia cœtu,
Præſulibus Reges miſti, mundique potentes!
Viribus exereret tua ſe facundia quantis!
Deſinerent vſus praui, moreſque maligni,
Indecoris turpi quibus eſt Eccleſia ſorde.
Haud ſecus ac olim tubicen dum clangeret Aron Comparatio.
Inſpirante Deô, ſanctô concuſſa canore
Non expectatô Iêricus ruit impia caſu.
Lex eſſet tua vox, docili ſuaſoria Clero:
Nec ſceptri foret iſta tui, ſed gloria linguæ.
Inſanô Gentes agitant quæ bella tumultu
Contereres, miti lupus agno accumberet, enſis
Vomere mutatus, nullum ſæuiret in hoſtem.
Chriſticolis tum ſiqua eſſet ſuper ira dynaſtis,
Pro ſolô fureret Chriſtô, Thraciſque Tyranni
Hactenùs intactas audax inuaderet arces.
Nec minor eſt calami quam linguæ gloria: ſcriptô Clemens etiam in ſcriptis diſertiſſimus.
Sicut voce places, ſuadæ eſt in vtroque medulla;
Seu latium tibi verba nouum, ſeu grandia priſcum

Præbeat. haud equidem prolatæ vocis honores,
Vim, maiestatem scripto vox credita præfert,
Est etenim absque sonô: tamen, vt sit muta silensque
Auribus, hauritur visu, facundia & illi
Est sua, visque sua est, sua gloria. quæ sonat ore,
Deficit vt nata est, abit & fugitiua per auras;
Nec redit, ista manet duris affixa metallis,
Quosque tenet mentis sensus ab origine primâ,
Seruat inextinctos, absentibus ad loca perfert
Dissita, & æternum tutos transmittit in æuum.
Haud secus ac fluuio vehitur merx atque supellex
A Gente in gentem. scripto sine, sæcula vicit
Nec vox ipsa Dei: sensim deleuerat ætas,
Quas Patribus dederat primis ab origine mundi:
Gens humana memor nec erat, vix mente tenebat
Cordibus innatas leges, in marmore donec
Scripsit, & in libris. ex tunc æterna fuere
Fata Dei verbis, & non violabile Numen.

Epistolas etiam familiares Clementis mirantur omnes.

Quas tibi surripuit literas occasio plures,
Elapsas segni calamo, tamen edidit orbi
Fama loquax, est te in paruô miratus & Orbis.
Transsumptis musæa scatent, seruantur in arcis
Palladiis monumenta viri preciosa. stupentes
Clamamus. quid enim si scripturire vacasset?
Tolleret ô quantô calami se gloria plausu!
Scilicet vt magnum Tibi condat epistola nomen,
Vna sat est. paucis ita se facundia verbis
Explicat, & totô splendet breuiata paratu.
O quam grande sonat! quam nobilitate, decôre
Et veterum dignum quam maiestate quiritum!

Non maior grauitate Cato, non Tullius arte.
Sic ſunt Auguſti Mœcenateſque loquuti.
Quas habeo, tanti non ſint per cambia fœtæ,
Quæ veniunt aurô, numeris ex ordine longis
Palladium mihi ſunt, nec iniqui pignora fati.
Eſt & Relligio manibus tractare prophanis.
Quæ loquitur numeris eſt & facundia Vatum.
Omnes hæc alias ſupereminet, æthera lapſa
Creditur, & ſuperûm ſanctæ genus eſſe loquelæ:
Supra etenim mortale ſonat generoſa Poëſis:
Summum opus ingenii eſt, animi pulcherrima proles.
Prodigium eſt mundi magnus Maro, parque Maroni
Siquis erit, neque enim quiſquam fuit, exhauſit ſe
In tantô Natura virô, ſimilemque negauit.
Rhetoris eſt præſto mens, in ſermone ſolutô,
Verba fluunt, & ſponte ſuâ naſcuntur ab ore,
Nec niſi communes expoſcit ſuaſio ſenſus,
Arte laboratos, at Vatem parturientem
Quanta animi tormenta vrunt, torquentque, priúſquam
Edat in optatam næuo ſine pignora lucem.
Non rerum ſimulacra ſibi vulgaria fingit
Enthea mens, altô gaudet tranſcendere captu,
Inque ſuum ſublime rapit, vileſque figuris
Materies polit æthereis: tum veſte decorâ
Ambit, & eximiô verborum exornat amictu.
Metricus eſt Rhetor, Vates: ſin, ille Poëta eſt,
Simia ſicut homo eſt, nec olor, ſed garrulus anſer
Veſte in olorinâ. numeroſos condere verſus
Recte incedentes, inculpatéque ſonoros,
Futilis eſt labor, & puerilis gloria: grandi

De facundia Poetica.

Eius excellentia deſcribitur.

Singula notent qui poëſim amant.

At ſuadere metrô, concinnatiſque decenter
Carminibus, Topicis & ritè excerpta fodinis
Argumenta rei, facili deducere Musâ,
Nec tantum mulſiſſe ſonô, rationis & artis
Viribus abrepti ſed mentem hauſiſſe legentis,
Hoc opus, hæc laus eſt. vni potuere, beauit
Quos natura Parens, & promſit ab æthere totos,
Excoluit quos ars omnis, ſtudiique ſupellex
Multa quibus, plenâ ructanſque ſcientia penu.
Atque ea, non multi rudis informiſque repoſti
Congeries. ſtrueret quondàm cum templa Tonanti
Dauidides, tantam quàm poneret antea molem,
Prouidus accinxit ſe operi, immenſamque parauit
Materiem, gemmas, ebur, aurum, quicquid Eous
Orbis habet pulchrum, quin & prius ordine longô
Singula adornârat, lapideſque laboribus aptos
Compſerat: hinc veluti celebratâ Amphionis arte,
Ædes ſtructa fuit ſtrepitu ſine, ſaxa polita
Fluxere in proprias nullô luctamine ſedes.
Perficitur curâ ſimili, quod muſa laborat
Nobilis (audite ô iuuenes heliconis alumni
Hoc monitum) ingenti multum cumuletur aceruô
Et defæcetur iugi meditamine verum.
Congeſtis opibus tum mens & lumine fœta
Sidereô, magnos fœlix erumpit in auſus,
Senſibus egregiiſque ſcatet, ſenſuſque ſequuntur
Sponte ſuâ cultæ delectamenta loquelæ.
Nec tibi defuit hæc cœli facundia. Pindi
Reptaſti per celſa puer, maturior ætas
Extulit ad ſummum totâ cum laude cacumen.

Egregia comparatio.

Multa cum laude poëſi operam dedit.

Quanta

Quanta Tibi sit mens, & ab æthere plurima, monstrat
Hoc cœleste iubar; solis innatus & ardor
Quos finxit meliore lutô clementia cœli.
Aonias artes spernant qui fronte seuerâ
Sunt critici, lymphæque vetent Heliconidos vsus,
Iessiaden Christi Vatem damnare parati.
Scilicet ignaui, quos sacrô à fonte Camœnæ,
Quos Pallas, Phœbusque arcent, sibi sacra negata
Pocula diffamant; torquet præcordia liuor,
Et pudor, excussos à tantæ iure Mineruæ.
Non equidem cunctis ad sacros protinus amnes
Accessus patet, at Proceres coluisse Poëtas,
Prima viri laus est, & doctæ gloria Gentis.
Inde graues haurit sensus, & nobile verum
Induit: excelsùm sapere, excelsumque profari
Discit, & eloquiô humanas transcendere metas.
Quos non assequitur saltem miratur honores.
Inde etiam Numen, tacitos & concipit ignes,
Ipse locuturus multô cum fulmine Rhetor.
Gloria & hæc tibi summe virûm fuit. otia doctis
Essent siqua super post sacra negotia Musis,
Impendisse fuit placitum: nec pœnitet. ô si
A pedibus nostra ad sanctas assurgeret vlnas,
Sepositis mundi curis, tantisper ad horam;
Esset non vacui merces mihi quanta laboris!
Purpureâ Romæ patrum quam fulgere veste,
(Annuerent totô si fata errantia cœlô)
Maluerim placuisse tibi, qui noster Apollo es,
Quôque sine haud meritæ laudem sunt iudice Musæ.
Non foret inferior victrici hæc gloria laurô.

Eminens poesis in solis summis ingeniis reperitur.

Poëseos cõtemptores ridiculi.

Optat author vt hoc poëma à pedibus Clemẽtis ad manus ascendat.

Magnum in mente lumen, magnæ virtutis principiũ.

Lumine splendentis tantô tantôque decôre
Ingenii, virtus animis ô quanta coruscis
Insidet! haud equidem quales metasque modosque
Nostra habet illa habeat: vix summæ cogitur intra
Mensuræ leges. etenim quô à gurgite surgit
Incrementa etiam recipit, molemque decusque.

Compara-tio.

Nam velut in magnô se lux vbi plurima mundô
Diffundit, terras & Phœbi copia maior
Afficit, vberior pretiosis gleba redundat
Frugibus: Arctoïs neqûe enim nascuntur in oris
Balsama, Thura, crocus, nec dulcis saccara succi,
Sed Titan vbi multus adest, ibi vertice cœli
Spargit odoratæ felicia semina messis.
Haud aliter densis animi splendoribus, almi
Scintillant ignes, & honesti plurimus ardor,
Purior & quô lux, tanto magis ignea virtus.

Docti qui mali sunt monstra sunt.

Nec moror interdum persusos lumine doctos
Æthereô, Cœli terræque Stygisque peritos,
Omne tamen patrare nefas. neque enim esse putentur
Illi homines, hominumque sati de Gente, ferarum
Sed portentosæ soboles: neque dixeris esse
Prolem notitiæ culpam, non filia lucis,
Est erroris opus, fœtus deformis & exlex
Noctis, & inuitô Monstri generatio verô.
Non etenim vel in Heroüm, sic mente diescit,
Vt tenebræ non sint vllæ: non Angelus ipse
Quô fulget verum semper videt. immemor olim
Heu nimis! infusos gratis sibi dantis honores,
Esse Dei munus, periit reus. erigit ergo

Lucis &

Maxime vir rebus tua tua se sapientia quantis;

Captu non noſtrum eſt modicô perquirere; nouit
Æthereis tibi qui tutor de ciuibus ille;
Ille ingens, ingentia quem tibi fata dedere,
Ille modô rituque ſuô ſtupet eſſe, ſuâque
Arte laboratam. forſan velut igne perenni
Quando coquit mirabilis ars, purgatque metallum
Solis, & aſsiduis ſecernit ſordida curis,
Eximium tandem lapideſcere fertur in aurum,
Omnia quod ſuperet preciô precioſa, ſuâque
Inficiat plumbi viles aurigine maſſas.
Siccine purgatô iugi ſufflamine verô
Humanæ abſumpſit penitus contagia ſordis?
Quiſquis hic eſt labor, infœlix fuit hactenus auri
Aurifici vanis inueſtigatio flammis,
Deſiit in fumos, aurô exhauſtaſque crumenas.
Res latet & multâ vulgantur ſomnia famâ.
At fatô meliore tuæ fuit exitus artis.
Eſt inuenta tibi ſapientia ſumma, regente
Quâ ſurgit tibi, quâ creſcit, quâ abſoluitur omne
Aureum opus; nullos non vitæ promis in vſus.
Omni etiam ex verò carpis, quot ſidera Cœlô
Luminibus fulgent variis, tot & eſſe feruntur
Infra ſiderei terrâ pontôque labores,
Quodque ſuum molitur opus, dant ſingula vires
Sementeſque ſuas, infra poſitiſque maritant.
Hinc varii ex variis manant influxibus ortus.
Sic eſt omne ferax verum, quod mente recondis,
Vnumquodque ſuos ſtimulos virtutibus addit.
Te dum ſollicitâ voluis cœleſtia curâ
Æternos ſenſus, vulgoque occulta profundi

ſapientiæ eminentia in Clemēte.

Comparatur auro purgatiſſimo lapidis philſophici.

Comparatio ſingularis.

Quâ ratione omne verum ex ſe ad virtutem accendat.

Nota.

Sacramenta Dei, quantis ardoribus vstô
Pectore diuinæ surgunt incendia flammæ!
Exultat spebus pietas sibi conscia quantis!
Ignescis, rectâque volas ad sidera flammâ.
Pectore dùm memori reuocas mortale theatrum,
Præteriti, rerum faciem, regumque, ducumque
Personas, casus duros, celeresque ruinas,
Et tumulatas spes, extinctaque grandia fatô,
Nomina cum sceptris, & quidquid lusit in Orbe
Regnorum fortuna potens, inspecta supernè:
Splendida fallacis mundi ludibria, quantô
Contemptu superas; calcas, assurgis in altum,
Linquis humum, totas transfers & ad æthera curas.
Dædaleas naturæ operas miraris, in hymnos
Ferris, & auctoris laudes. ad nobile certum
Abstrahere incertos sensus docet ipsa Mathesis.
Indigetûm nec te tantùm turbæque prementis
In Cruce mactati pro se vestigia Christi,
Gesta legis, quæ magna mouent. succurrit & olim
Absque Deô & Christô, fortis tamen ethnica Roma,
Et pudet inuicti laudes audîsse Catonis.
Sic fluit ex omni pietas in pectora notô.
Ipsa bonum sic te faciunt mala. sic tibi seruit
Res omnis, sed & omne nihil, quô nulla caret res.
Sapientiæ Clementis scopus, Deus. Quis scopus in rebus primò sapientia quærit.
Carbasa qui credit ventis, super omnia portum
Cogitat, assiduamque aciem defixus in Arcton,
Dirigit intentos Helices ad sidera cursus.
Qui te cumque labor teneat, tibi meta laboris
Est æterna quies: Deus, omnis regula voti.

His

His facibus, tendis, properas. nec sola fides te
Firmat in officiis. te si per Guynea rura,
Mos vbi nec cultus, nec rectò exercita virtus,
Barbara lactasset genitrix, tibi norma fuisses
Ipse, & lex, morumque modus, ratione magistrâ,
Religionis inops, inter confinia praui,
Vidisses iusti calles, essesque sequutus:
Absque boni verique vias monstrante, fuisses
Et pius & sapiens, vt Iobus in husside terrâ.
Sors animæ est ita fausta tuæ, sic sidere dextrô
Natus es, eximii tanta indulgentia fati.

Eius mores naturaliter recti.

O quem te memorem Princeps! namque haud tibi nostræ
Labes gentis inest, nec quos pulcherrima næuos
Progenies habet. esne Deum de sanguine? certe
Fallor, an humano cælestia Numina limo,
Nescio quæ, te qui maternâ finxit in aluô,
Miscuit? horrores scelerum, virtutis amores
Quos natura dedit, potuit non condere tantos.
Æthereæ fuit artis opus. natalia ab altô

Singularis gratiæ dei beneficentia in Clementis formatione.

Quin etiam in serie fatorum, & in ordine longo,
Disposuit, sanctos proauos, atauosque, genusque
Innocuum, puros caro per deducta canales,
Vt foret in serô tandem sine fæce nepote,
Digna piæ mentisque comes. si quando iubemur
Lege Dei, cælique minis compescere sensus,
Heu nimis in prauum pronos, nos quanta fatigant
Tentamenta mali, carnis mentisque tumultus!
Deficimus; si qua est ineundæ audacia luctæ,
Abripimur faciles terrenæ pondere molis,
Turpiter & cecidisse pudet, vicisse volentes,

Natalium sanctorum dispositio.

Comparatio. Multa incusantes, styga cœlum, & multa gementes.
Haud aliter quam nans aduerso flumine, contrà
Nititur & totis intendit brachia neruis,
Ne validis rapiatur aquis, sed fluctibus impar,
Haud sibi cessuras frustrà molitur in Vndas:
Labitur infœlix tandem, ferturque deorsùm,
Non superaturos dolet effudisse labores.
Dum tibi ad omne bonum facilis via, flexibilisque
Cordis amor, spontisque suæ sibi conscia virtus.
Sis fœlix, sancti sic fortunate laboris:
Inuictis & macte animis: de semine tantô
O messis te quanta manet! si singula recti
Nomina, virtutum momentaque singula, versu
Molirer, nunquam facerem satis. est ita moles
Absque modô, numerusque ingens. vulgata per Orbem
Notaque describi nec conuenit. audiit vsquam
Quisquam hominum de te vocem murmurue querelæ?
Clementis fama illibata, vita à puerô irreprehensibilis. Illibata tibi fama est, mundoque probata.
Suaueolens arbos Eois qualis in oris
Multo sole calens, & aromate turgida multô,
Spargit odoratos latè per inania succos.
Hiscit nemo. reum si quis te viderit vsquam,
Est Deus, aut Cœlj mens conscia. non quia laruas
Obtendas noxis, aut quod sine testibus erres.
Vsque adeone etenim sic est simulatio constans,
Vultibus in manibusque piis, vt præcoce cœpta
A puerô, iuuenem comitata, virumque, senemque,
Bis septena genus per lustra in imagine falsâ
Luserit humanum, & tandem laruata sepulchro
Intulerit tanti victrices temporis artes?


Haud ita versuta est, oculos seducat vt omnes,
Decipiatue diu. te qui pietatis amictus
Ornauit, primô non intermissus ab æuô,
Esse queat fictus? minimi vel criminis vmbras,
Noxarumque quibus blandus mundi vsus & Aulæ
Abstulit inuisas species, explodis & horres,
Nec patitur tua publica lux. est regula mundo
Quidquid agis, legemque facit, tutumque putatur.
Ipse vigil te te lustras, acieque seuerâ
Inspicis, humanôque leues de puluere si quas
Aut trahis, aut traxisse putas: mox vltor acerbus,
Plectis, & abstergis per sæua piacula sordes.

Clemens seuerus sui censor.

Is mos est etenim, est ea scilicet vna piorum
Sollicitudo virûm. Phœbi si lumine purô
Intus sit perfusa domus, quâcumque magistri
Verratur curâ decusseturque labore,
Haud tamen absque atomis erit illa, aut absque minutô
Puluere, quem claram videas volitare per auram.
Haud secus, vt sit mens mundissima, conscia culpæ
Nulliusque sibi, tamen haud sunt absque timore,
Lux quibus affulget Superûm, metuuntque reatum
In tutis etiam, ne quid deforme Deique
Deuiet à rectô. (quid enim struis absque periclô
Gens humana boni?) noxarum examina cernunt
Sæpius, aut errore piô, vidisse putantes,
Intus opinati terrentur imagine monstri.

Elegans conscientiæ timoratæ descriptio.

LIBER SECVNDVS.



AMA malum quô non aliud velocius vllum,
Quando mala est, cursu facili multôque triumphô
Indefessa volat: quascumque feratur ad aures,
Intrat ouans, nemoque fidem (sic deteriorum est
Credula gens humana,) negat, nemoque volantem
Detinet, aut raptis vetat vltrà tendere pennis,
Ac velut hærenti globus è niue crescit eundo,
Quòque volutatur magis, ac magis, auctius exit;
Quin etiam paleas & turpia stercora, crescens
Congeries glomerando trahit, miscetque voluto.
Hanc sit auget iter, quam sit narrantis ab ore
Maiorem auditor repetit, mendacia veris
Infecta & factis nisi misceat, addere saltem
Gaudet hyperbolicos linguæ gestusque tumores.
Quando bona est, segnis graditur, nec prompta, nec ales
Nunciat, irrepit sensim: quòcumque locorum
Se ferat, & totô verum proclamet hiatu,
Personat infœlix studii: obluctatur eunti
Liuor, in adversumque furit, cursusque moratur.
Famæ Clementis effusio. At fatô meliore tamen tua teque loquuta est
Grandi fama sonô. totô tibi nomen in Orbe
Condidit, æthereum sonitus pulsauit Olympum.

Vt

Vt ſemel effuſa eſt, quantis procul incrementis
Romæ nata, Alpes tranſgreſſa & littora Ponti,
Protinus Heſperiis quantum caput extulit oris! Inuidiam vicit.
Scilicet ingentis virtutis gloria, telum
inuidiæ ſuper omne fuit, quia maxima: ſponte
Omnis lingua dedit meritæ præconia laudi.

Vt ſemel incœpit latè increbeſcere nomen, Quandoque maior è longinquò reuerentia ac fama.
Fama etiam ſuprà meritum quandoque tumeſcit.
Vera minus quò longius it, ferturque ſecundis
Vocibus. abſentûm laudi conſenſimus ex-quò,
Eſt è longinquò viſis reuerentia maior,
Aſſenſuque ſuô quaſi captam, affingere mentem
Falſa iuuat vero, cultuſque augere priores,
Et titulis cumulare nouis, præſentia donec
Viſa, minus iuſtè fictos expungit honores.

Haud ſecus ac mirâ pingitquas arte tabellas Declaratur eleganti cōparatione.
Opticus, inſpectas procul, ac ſtatione doloſâ,
Dixeris in lucis ſpecioſâ ambage colorumque,
Exprimere Herculeum ſublimi mole Gigantem,
Os humeroſque Deo ſimilem; ſic lumine & vmbris
Decipitur longè poſiti diſtantia viſus;
Accedis donec propius; manibuſque oculiſque:
Paulatim ſpecies tum vaneſcendo ſtupenda
Deficit, & luſos deprendis imagine ſenſus.

Magnificè de Te famæ dicentis ab ore Clementis famam auget præſentia vt olim famam Salomonis.
Auditum, qui te viderunt poſtea, non ſic
Mentitæ fraudes incuſauere repertas:
Inuenere fidem ſuprà, rumoreque verum
Maius, adulantes ſuperantia nomina linguas.
Vt Regina Auſtri, ſtudiô Salomona videndi,

Cum procul amotas Solymæ venisset ad oras,
Obstupuit Salomona videns, sceptrique domûsque
Immortale decus: tandem vt Salomonis ab ore
Hausit inauditos sensus, præsentia famam
Auxit, & attonitæ defecit spiritus aulæ.
Haud aliter stupuere animis, plausúsque dedere;
O fortunatos qui te genuere parentes!
Dixere, haud quisquam Romanâ è gente Latinas
In tantum spes extulerit, non omnia fatis
Debita, habes. ô quanta manent! î sydere dextrô;
I decus, î nostræ sobolis: fer ad æthera nomen.

Non habebat vltrà spiritum 3. Reg. c. 10.

Has tamen ad laudes non est haud æqua sequuta
Sat fortuna citò: meritorum oblita tuorum
Transiit, & cæcos aliò iactauit honores.
Scilicet ad nomen peruenit purpura tantum
Serior, & capitis fors prætermissio tanti,
In fatis erat illa tuis, vt honore negatô
Splenderet virtus etiam tua, sciret & Orbis,
Nec tibi quæsitum. casum indignata dolensque
Roma, tui immemorem querulis damnauit Olympum
Vocibus; ipsimet patres gemuere recentes,
Ipsa nouos etiam sine te noua purpura plausus
Erubuit. totô rubor ô preciosior Ostro!
Quanta verecundus fuit hic tibi gloria murex!

Virtutem & famam non est sat cito comitata fortuna.

Inuidiam tandem geminô tumulauit honore
Iustus Alexander, sanctæ secerneris Aulæ
Secretis, Patrumque choro, dignusque putaris,
Audeat arcanos vni cui credere sensus.
Quàm foret Abramidûm Gentis Dux antea, Mosi
Sic fuerat iunctus Mosis cœlique Minister

Sub Alexandro 7. Cardinalis fit & Secretarius Statûs.

Nunniades. sacris sceptris Te fata parabant, Iosue filius Nun.
Spondebantque Ducem quondam gauisus vtrôque est
Orbis, & in tanti cûris ac mente sequestri
Depositus, res spesque suas, Christique Deique
Credidit in tutô. veluti cum Phosphorus almum
Lucidior Titana præit, sine nube serena.
Tempora, & innocuæ series est certa diei.

Gesseris hoc quibus ingeniis nomenque decusque,
Quâ laude ac famâ, dicant quoscunque gerentes
Vidit & extremis missos telluris ab oris,
Aula frequens. dicant populi, Regesque, Ducesque
Quorum iura tuæ syncerâ lance fideles
Expendêre manus; faciles admissus ad aures
Omnis erat supplex, meriti composque rogati:
Æqua minus quotquot sibi sperauere, lubentes
Excepere piô conditas melle repulsas.

Consiliis firmata tuis Ecclesia dicat: Alexander eum vocabat secretariũ secundum cor suum.
Iustus in errantes quandò pia fulmina duros
Torsit Alexander, monitumque exterruit Orbem;
Tu quoque præstabas operas, sanctique minister
Mulciberi, simili cudebas fulmina curâ;
Patris eras etenim summi lux chara, secundum Moses egregius Dei minister.
Corque viri, Christi post mentem, mensque secunda.
Fulmineus de monte Deus cum mitteret olim
Fulgura, in insanam strepere ntque tonitrua gentem, Angelus Cossarus in libello de statu curiæ Romanæ. anno 1661.
Conscius adstiterat sic, nec sine Numine Moses
Ipse suô, radiante caput redimitus amictu.

Ille etiam dicat Venetus notissimus Orbi,
Qui sub Alexandro faciem vulgauerat Aulæ.
Commemorat quô Roma statû, quâ Curia sorte,

Quô virtus viciumque locô, natalia, fata,
Spes Procerûm, vnde domô, quô sanguiue, gente, quis arte;
Quisque sit, ingeniô, meritô: tùm lance seuerâ
Ingentes animas Papale ad nomen ituras,
Si quà fata sinant, incertæ sortibus vrnæ,
Ponderat, iconasque facit, næuosque repertos
Propalat, haud æquâ sæuus sub imagine pictor.
Est etiam tua ibi effigies, sine crimine, quantis
Induuiis splendens! quàm notâ maior imago!
Ostriferos inter Patres sine labe coruscas,
Omni laude, omni titulô, omni nomine maior.
Erigeris medius velut inter sidera Titan.
De reliquis mussat, totô Te laudat hiatu.
Idem etiam summo te designârat honori
Præscius, absque adytis, fatô absque, & Oloribus, absque
Sideribus, totum tua ei sapientia fatum
Vna fuit, totumque omen: præconia tanta
A mordace virô, censoreque laudis auarô,
Extorsit visi victrix reuerentia viri.
Cuius amor Tibi tot dederat dum vixit honores,
Auxit Alexandri funus, sociumque laborum,
In vacuâ multô posuit te sede triumphô.
Ad loca maiorum Princeps vbi ritè legendus,
Religio est primos Vrbisque attollere fasces;
Ominibus multis & sollicitudine multâ,
Conueniunt mœsti Patres de more vocati.
Interea dum fata Dei, dum sidus Olorum
Inquirunt, magnô misceri murmure Mundus,
Rumoresque seri, rerum quis dignus habenis
Succedat, quem fata ferant, quem Curia poscat,

Quem

Quem populi Regesque notent; mirabile dictu!
Vnum Te populi ac Reges voluere: creandum
Nemo sibi a tantâ quicquam pietate pericli
Extimuit, seruumque Dei fore nullius hostem
Credidit. haud grauibus plebs ipsa exercita curis,
Oppida, rus, clibanus, fons, pons, fora, compita, portus,
Te veniente die, Te decedente canebant.
O populi vox, voxque Dei! vix iudice Mundo
Sic placuisse datur Superis. de Numine Christo,
Dicebant quidam, bonus est, aliique negabant,
Omnes Te dixere bonum, votumque dedere.
Pignora cessarunt Romæ; non scilicet ausus
Pignore deposito quisquam, ne perderet, in te
Moliri sensus, alienaque fata tueri.
Certa, fides adeo votum firmârat amoris.
Non potuit (sic vnô omnes sermone canebant)
Iulius in lucem modicis erumpere fatis,
Virtutis qui summa tenet: male prouidus Orbi
Non illum in modicos certè Deus intulit vsus.
Est Christo sua res cordi, florere suam rem
Atque suos, fuerit si mens, (vt creditur esse)
Rospiliosæis sua credet ouilia curis.
Suasum erat idque mihi, firmũque ita, credere vt actum,
Infectum quod erat: sacras facturas ad aras
Quem Missale locum vacuat, pro nomine Papæ,
Tempora præueniens, implebam nomine Iulî.
Vlla nec incursæ culpæ me cura momordit:
Parce Pater, si quis fuit hôc in amore reatus.
Euentu firmata fides. quid fata moramur?
Tandem etenim dixere Patres, quos Numine plenos

Post Alexandri obitum omnium votis Successor destinabatur.

Quidam dicebant: quia bonus est, alii autem dicebant: non. Io. c. 12.

Authoris votum.

Electio vnanimi omnium consensu.

Vrgebat Romana ſalus: ſuffragia linguæ
Diſtulimus tanto Heroï, non corde probare
Quem neque fas, nemoque queat, niſi cæcus & exlex?
Conſilii ſat, ſatque moræ. Tum Roſpilioſi
A Duce vulgatur conſultò nomen. iere
Vnanimes, at non Superûm ſine Numine Patres.
Si non ſaxit amor, côgat pudor, abſtulit omnes
Fama viri, Nomenque ingens, & gloria voti.
Roſpilioſæi fuit hæc victoria fati.
Sic habuit Te Roma ducem ſanctiſſime Clemens.
Lectus es à Patribus quia dignior, inferiorem
Dignior eligatur. Quantumuis meritum, tamen elegiſſe putarunt
Grande nefas. nec forte leue eſt. qui cornua taurus
Summa gerit, ſummâ qui fert ſe mole, toriſque,
Hunc armenta ducem nôrunt, hunc ſponte ſequuntur.
Nec venerantur apes Regem, niſi qui ſuper omnes
Eminet, eſtque Gigas. maior virtutibus, ille
Inferiora regat: rerum ſic poſtulat ordo,
Sic Deus. ô tantum melior ſententia cœtum
Quam decuit! quantum vobis noſtræque ſaluti
Gratulatur author Em. Card. ſuper electione Clemētis. Oſtriferi egiſtis Proceres hac luce! dediſtis
Exemplum quam grande Orbi! vos omnia ſceptra,
Vos omnes populi, vos omnis lingua, Quiritum
Dignam progeniem veterum Cœlique vocârunt.
Aſſenſere hoſtes ipſi. vos vltima Thule
Extulit: auditus ſolò eſt vlulatus Auernô.
Exultauit ouans Alpe, exultauit in altis
Pirene commota iugis, ſanctæque Sionis
Oblitæ lachrimas exultauere ruinæ.
Vos cecinit Padus ac Tiberis, vos Rhenus & Albis,

Et Tagus, & multâ redimitus Sequana lauro,
Speque nouâ, luctu positô, turgentior Ister.
Arx Marci vos celsa suos, vos Adria Patres
Inuocat. ô magnæ reuerenda Ancylia Romæ,
Vt terras facinus tantum, cœlosque beauit,
Sic vos fata beent, feris æternaque præstent
Gaudia, post pulchros Christi pro lege labores.
Crediderit quisquam lætis dum vocibus æther
Personat, exultat tantôque Ecclesia plausu,
Pertentasse viri tacitum quoque gaudia pectus?
Fortè ab adoratis manibus genibus pedibusque,
Ad titillatas cordis fluxisse medullas?
In tantâ rerum dulcedine mersus, in altô &
Gurgite, nil sensit sibi dulce, sed incumbentûm
Immensum pondus summorum excepit honorum,
Multa gemens animis, curarumque anxius æstu.
Tangunt læta leues animas; lætissima nullô
Magnanimum afficiunt sensu, quia scilicet ingens
Spiritus, inferiora Deo flocci omnia pendit,
Nec nisi de æternis gaudet gaudere triumphis.
Haud secus ac quando mirabilis ordine fati,
Christus homo, factus Deus est, idemque tonanti,
Ad circumfusos animis non ille decôres
Restitit, ad magnum sed onus Crucis atque salutis,
Ad tolerandorum faciem subitamque laborum:
Amplexusque crucem Patris sibi lege paratam,
Extunc mente pati cœpit, tactusque dolore,
Traxit inextinctos vitæ per tempora luctus.
Audiit vt summâ Petri te sede locatum,
Nec tua lætitias egit cognatio vanas,

Clemens sub pondere sibi impositô gemens.

Comparatur Christo Crucem a Patre sibi imperatam acceptanti.

Erat autẽ populus iucundus ſecundum faciem Sanctorũ Iudith. c. 16.

Non equidem non læta fuit, ſed læta ſecundum
Sanctorum facies, & honeſtæ gaudia Gentis.
Lætitiam fecére domûs, non pompa theatri,
Non quæſita procul regalis fercula menſæ;
Non celebres ludi; deſultanteſque choreæ;
Sed ſparſi in miſeros Nummi laceroſque Penates,
Carcere ſed clauſi preciô fecere redempti,
Prodiga ſed ſanctos effuſio ſtipis in vſus;
Multa cadens ſuperis ſed ad aras hoſtia ſacras.

Laudes Nobilis familiæ Roſpilioſæ.

O quam Te referam pia gens! namque haud tibi mores
Quales mundus habet: tenebrarum filia non tu,
Artibus humanos ſtygiis quæ temperet actus:
Terrenis inhians lucris, aut ambitioſis
Faſcibus. ô verè cœleſtis filia lucis!
Certa pii Chriſti ſoboles! quas audio laudes
Temporibus de te miſeris æuoque daturas
Degeneri, ſanctum (ſupereſt ſpes ſi qua) pudorem?
Fabricii ſtirps? an Curii? fortiſue Camilli [illegible]
Eſt in te certè Romanæ plurimus olim
Gentis honos, priſcæ eſt & plurima gentis Hetruſcæ
Gloria: quin maior Proauis, quia ſanguine Chriſti,
Nobilior, ſacriſque ad magna audacior vndis.
Clementi quantum fratrem, quantoſque nepotes
Heroüm fœcunda parens ad ſceptra dediſti,
Cœlicolas omnes quondam, capita alta ferentes,
In terris omnes, & ad omnia grandia natos?
Non potuit multô Superûm ſine Numine naſci

Emin. car. Roſpilioſi nepotis laudes.

Tanta ſalus, tantumque decus. quem terra Nepotem
Suſpicit ingentem, Romæ rem ſpemque, ſecundam,
Oſtriferi lumen. complementumque Senatus,

Cui

Cui tantum timuit nuper miserata, sibique,
Cum tantùm ostensus fatis, fatisque negatus
Esse putaretur, diri per tormina morbi.
A modò qui tantus, laudem florente iuuentâ
Virtutem, famam tantâ qui mole coegit,
Quantus erit, magno fœlices quando per annos
Adstiterit Patruo, curarum mentis & altæ
Conscius arcanus, mundi Dux doctor & alter!
Fallimur? an veniet sæclis labentibus ætas,
Cum totum referet Patruum, sic ille ferens se,
Sic sapiens, sic ille pius, sic ille modestus:
Efficiet fortuna parem. venient quoque sera
Tempora, cum magni Patrui magnique Nepotis
Roma memor, priscique legens tabularia sæcli,
Amborum vigiles curas, celebresque labores,
Gesta pia, antiquas laudes, ad sidera tollet
Rospiliosæum super omnia nomina nomen.
Macte animo proles Superûm, charissima Cœlo:
Gens es Olorina, & vitæ candore niuali
Splendidior, quam luce tuô de sydere promptâ:
Multa vt sit totôque haud immemorabilis æuô.
Nec tibi displicuit mens haud mutata tuorum,
Sancte Pater; nec tu mutabilis, omnia circà
Nulla in te mutata; pates, & es omnibus idem,
Qui fueras, nec te, nec nostra oblitus, eôdem
Is gressu, stabilique viâ, tibi vita coloris
Vnius est, nec te minuunt aduersa, nec augent
Prospera: non sceptrum. ceu quando per æthera currens
Sol tegitur tanquam preciosâ nube, coronâ,
Dædaleâ Natura manu, quam finxit & arte:

Circa Clementem omnia mutatą, in ipsô, nihil.

Miranturque nouum populi procedere Regem;
Ile suas solitô cursu, solitôque tenore
Itque reditque vias, is qui fuit absque coronâ,
Antiquosque nouâ sequitur sub imagine mores.
Sic tibi frons eadem, mensque est, seu fronte Tiaram,&
Mente geras mundum, seu non: de rebus vt vt sit
Te positis extrà, perstas ad vtrumque paratus,
Securus sortis. Mundi tibi fræna tenere,
Non equidem prorsus fuit ars noua. dextera quondam
Docta laborârat summi in moderamine sceptri:
Attamen haud Regum lateri quicunque secundus
Non omnis sedulus Minister Regno est par. Astitit, & gnauum gessit cum laude Ministrum,
Par regno est, natusque locô consistere primô.
Cuique suus limes genio est: nec fingere Regem
Quilibet in falsâ doctus valet histrio scenâ:
Prodeat ingenti Drauus sub imagine Cæsar,
Imperii deerit maiestatisque decôri:
Declaratur eleganti comparatione. Exuperat persona hominem. quam sæpe cerebrum
Mouit, & absorpsit sensus fortuna modestos
In subitô positi soliô? de culmine montis
Finge tibi spectantem alti, per inania subtus:
Sub pedibus vacuum immensum, noctisque profundæ
Ecce repens surgit dubiis obtutibus instar,
Ecce caput vertigo rotat, subit horror, & ipsa
Mens fugit & nullô stant lumina turbida visu:
Est idem tamen ille, prius qui culmen ab imô
Spectabat, capite incolumi, certisque videbat
Luminibus; casum statio nimis ardua fecit.
Haud aliter stupet ille, anceps quò flectat habenas;
Turbaturque animis, quid agat, quid selegat, ausit,

Inſcius. arbitriis tantum eſt diſponere cauſas,
Et rerum momenta ſuis. Te Maxime Rector
Perſonam quamcunque geras, miramur eundem
Semper, & immotô moderantem cuncta cerebrô.
Mente tuâ Mundus minor eſt, Ampliſſime Rector; Cardinalis Nepos curarum particeps.
Attamen in partem curarum ſuſcipe, laude
Omni maiorem, quem fata dedere; Nepotem:
Poſtulat vrbs, Orbis gaudet: Te paſſibus æquis
Ille breui, tua per gradiens exempla, ſequetur,
A modò ei multus magnô eſt in pectore Clemens.
Per diuiſorum conſortia ritè laborum
Eſto diu noſter: Deus annuit, ille ſuorum
Participem qui te voluit ſuperique Miniſtrum
Imperii, poſt ſe Mundi Regemque ſecundum,
Ponderi & Atlantem docuit ſociare ſecundum.
Vna placet: Mundo nouitas tua. Numinis ex quò Clemens ſeipſo Iulio maior.
Impoſita eſt perſona tibi, Te maior es ipsò
Qui fueras, es Vir certè nouus, acceſſere
Incrementa Dei. non creſcere gloria non eſt
Virtutis, capitur ſed decreſcentis vt omen.
Scilicet Heroas mens quandò in ritè paratos
Ætherea inſinuat, ſe ſe, quos prouida magnis
Præficit Imperiis, fatiſque ingentibus effert;
Luce nouâ flammiſque nouis dignatur, adæquat
Officiis vires, & neruis munia: replet
Si quod ineſt vacuum: ſpatii quandoque capacis
Extendit metas, interque capedine vaſtâ
Ampliat, vt valeat maiorem includere gazam.
In Madianitûm patriâ cum paſceret agnos,
Magnus erat Moſes, clarum virtutis auitæ

Sicut Moses quãdo constitutus est Dux populi & Deus Pharaonis vide Exod. c. 2.

Iam dederat specimen, Gentilis sanguinis vltor
In Pharium, Phariæ quoque spes despexerat aulæ
Magnanimus duros Domini cum Gente labores
Malucrat: sed mox populi Dux factus Hebræi
Vt fuit, in quantum ille virum fuit auctus, & Heros
Assurxit quantus! Cœpit Deus esse Tyranni
Niliaci, Numenque Phari. sine Numine multô
Nec tu tantarum suprà fastigia rerum
Erigeris, virtute micas indutus ab altô,
Afflatu maiore sacri te flaminis actum
Arguit, æthereum quod splendet in actibus instar.
Relliquiæ periere hominis, consumptaque fæx est,

Declaratur elegãti comparatione.

Si qua fuit. Cœli velut vberiore rigata
Rore Arbos, almique nouis influxibus Astri
Fœcundata, parit generosius, aucta decôre
Poma nouô, Sapiuntque suum sua germina sidus.

Reges initio regni magnam sui opinionem ingerere student.

Prima vbi sceptra ferunt, populis vt opinio blanda
Insideat, fausti spes & iucunda futuri,
Regibus est solemnis mos, insignia fatis,
Ominibus, monstris meditari exordia Regni:
Profuit & multis hæc ars: cum Gente Deôque
Fœdera concipiunt etiam, firmantque lubentes
Pollicitis, iuramentis scriptoque, quibusdam
Iuris apex est Relligio hæc, & formula pacti
Futilis, at magnos capiendæ plebis in vsus:
Ostentare etiam celebres virtutis & æqui
Primitias, multoque sonô multôque paratû
Est solitum: Pietas seu sit syncera Virorum
Seu mentita dolô. Pompâ sine & absque Theatrali
Ambitione, simul virtus tua sede refulsit

Conspicua

Conſpicua, multâ longam ſcaturigine lucem
Sponte ſuâ extremæ protendit ad vltima Terræ.
At velut accenſus nemoroſi in vertice montis
Ignis, vbi ventus flat crebrior, amplaque proſtant
Pabula, graſſantis fert latè incendia flammæ,
Sic ea materiem Tarpeiô in culmine denſam
Nacta ſuæ laudi, generôſo efferbuit æſtu,
Quò potuit magis, auſa magis. ſit Regia Regum,
Æquet ſceptrorum ſaltem faſtigia virtus.
Maiores opibus faciunt quos fata, minores
Eſſe vetant meritis, melioribus, aucta poteſtas
Quæ non incumbit ſtudiis, augeſcere digna
Non fuit, effuſos nequicquam, fœdat honores.
Reges imprimis pietas decet: illa tremendos
Hoſtibus, & charos populis facit, illa Deorum
Addit rem titulis, maieſtatique ſupernam
Effigiem, faciles Diuos in vota preceſque
Flectit, & imperiis ipſum ſubmitiit Olympum.
Deſtituit quos vera, iuuat prætendere fictam
In ſpeciemque pios deceptæ illudere Genti,
Detrectet ne oculata iugum, fas neue reatur,
Quem putet inuiſum Superis odiſſe Tyrannum.
Æqua minus velant ſcelerataque, nomine recti,
In Cœlum meditata, vocant ius faſque fidemque;
Cauſam etiam Superûm, ſed & obteſtantur eoſdem
Ante aras & opem poſcunt, & vota gementes
Concipiunt, ſpondent prædas, quâ fronte ſonôque
Olim exorauit ſimplex pia Numina Dauid.
Sic Florentinus ſceptrorum Doctor agendum
Tartareâ docet arte ſenex, ſic Diſcipulorum

Quantus ſplendor Clementis initio Pôtificatus. Declaratur comparatione.

Pietas Regum

Pietas ficta.

Machianellus.

Turba frequens, ſanctas etiam quæ repſit in Aulas.
Vera nimis carò conſtat, ſimulatá labore
Stat paucò pietas (inquit) non iſta cruentis
Artubus, exhauſtáque in egentûm pabula zonâ
Venditur, amiſsâ vel libertate ruendi
In placitum quodcumque nefas: rem denique totam
Conficiunt, aut æquiualent ad commoda ſceptri,
Lingua pia, inque pias facies vertenda figuras:
Tum quandoque aliquod (ſi quando ſit vtile tandem)
Famiferum pietatis opus. non Ethnica quondam
Impietas tantô ſe ſe extulit horrida monſtrô:
Inualuit tamen, inualuit, dominatur in Aulis.
Quiſque ſuis colit in rebus, plebs, ipſe Sacerdos.
Nec ſi damnantes interdum fronte ſeuerâ
Audieris, pietate graues hos crede Catones.
Clamant, ô mores, ô tempora, qui tamen altis
Thuriuomas monſtro ſtruxere in cordibus aras.
Lepida comparatio. Conſpurcant veluti ſputis qui turpibus offam,
Conuiuas fœdâ vt deterreat horror ab eſcâ,
Et ſolis veſci liceat; furtimque repoſtam
Fauce vorant auidâ, & grandi populantur hiatu:
Infandum ſcelus! illuſis mortalibus, ipſi
Illuſiſſe Deo, aut cæcam reputaſſe chymeram!
Non impune ferent; certâ periere ruinâ
Quotquot in irriſum ſic ſurrexere Tonantem.
Pietatis fictæ pudēda reuelat Deus. Declaratur ſimilitudine. Omnia quæ luſtrat vigili mortalia curâ;
Occultum ſinit eſſe nihil, lux ſplendida fati.
Flagitium tandem omne patet. mergatur abyſſis
Oceani ſuber, paulatim aſſurget ab imô
Gurgite, ſponte ſuâ, leuitanſque exibit in auras

Conſpicuum, ſummâque natans ſpectabitur vndâ.
Haud ſecus intoſſum noctis penetralibus atris
Flagitium: inhatâ veri inſuperabilis arte
Emergit ſenſim tenebris, famæque volantis
Exceptum pennis, centumque per ora boatum,
Gentibus innoteſcit, ſuffuſumque rubore,
Publica damnantis patitur ludibria vulgi.
At neque contingit faciles reperire latebras
Flagitiis Regum, quæ Reges clara latere
Fata vetant, prohibent ſcelus & ſe condere Regum:
Ingens cuncta rei prodit Regalia moles.
In magnis paruum nihil eſt. Palatia rimis
Ampla ſcatent: etiam quæ corde latere putantur
Peruia ſunt oculis cautæ terebrantibus Aulæ.
Inſidiatores inſpectoreſque tot adſunt
Quot famuli, ac vigiles. è cœlo in tecta domorum
Gutta cadens, fluidò paulatim tramite ſerpit
A tegulâ in tegulam, tandèm delapſa ſuperne
In vicos abit & plateas. ſic veſtra potentes
A linguâ in linguam poſtquam fluxere ſuſuri
Murmure ſecretô, demùm fora, compita, Regna
Rumorum clamata tubis arcana pererrant.
Vrit & iratum nimis hæc iniuria Numen,
Offuſas fraudes ſceleri confundere gaudet,
Atque triumphatas populis traducere laruas.
Clementi ſeruire Deo eſt, regnare, Dei lex
Regula factorum, moderaminis ordo, ſtatûſque
Eſt ratio pietas, nullo fucata colore,
Fœta nec incluſô pixis gemmata venenô.
In Clemente latet ſi quid, fallitque videntem,

Regum hypocritarum flagitia ſecreta eſſe non poſſunt.

Declaratur ſimilitudine.

Clementis pietas ſyncera.

Sola latet virtus, tenebras fodit, & procul omni
Teste suum molitur opus, lucemque perosa
Ambit in occultis vni notescere Christo.

Odit politicen mũdi.

Non ignota tibi est equidem sapientia Mundi,
Ingeniosæ artes, Excusatumque Prophetis
Vilibus, imperii rem propter, & vtilis ergò,
Astutum quodcumque nefas. at spernis & horres:
Mente tuâ est vt mente Dei, sine crimine, nullos,
Forte nisi hostilis fraus vt caueatur, in vsus.
In Christo sapuisse, tibi laus tota salusque:
Hinc arma, hinc currus, hinc ars & gloria sceptri.

Potentia temporalis Ecclesiastica in pietate fundata.

Romanis nosti fatis exercite, nosti:
Non rem Romanam statuit sapientia Mundi,
Non vis armorum, non lex versuta regendi,
Sed pietas, sed Relligio. sed Numinis aris
Incorrupta fides, quæ priscæ est gloria Gentis.
Hæc Romam Latiumque dedit. sua sceptra potentes
Pipini, Constantini, Carlique, sacrorum
Illecti pietate Ducum, Petrique nepotum,
In dextrâ posuere Petri. qui retia liquit,
Pro Christô, diadema tulit. quibus orta potestas
Gloriaque & Regnum rebus, stet, crescat iisdem,
Floreat, emineat. neque & hoc sine numine Diuûm.
Ferrea venerunt vbi tempora, degeneresque
Christiadæ, Claues sceptrô sine forte iacerent,
Despectæque forent, traheret discordia Regum
In res quisque suas: decuit non esse coactas,
Vt neque contemptas. & tota Ecclesia Cleri,
Diuitiis etiam quantis per tempora creuit!
Immensas populi ac Reges fudere fideles

In gremium sponsæ Christi, rerum omnium egenam,
Amplâ dote frui placuit, voluere comantem,
Auream, & ex omni fecere monilia Gemmâ.
Omnis honos in eam fluxit, decor omnis, & omnis
Gloria, iura fori, trabeæ, palatia, fasces.
Tantæ molis opes: & nomina tanta, benignè
Qui dedit ipse stupet Mundus. Quandoque Gementem
Pœnitet, & raptas olim per fascina prædas
Conqueritur. veluti quondam præsente senatu
Per magicas artes fuit accusatus arator,
Fœcundasse suæ prius arida iugera glebæ;
Quin & carminibus fruges alienaque farra
In campos traxisse suos, quibus ille querelis.
En nostras artes magicas; magnosque ligones
Opposuit, fortes natos, ingentia mole
Corpora, callosasque manus, & aratra profundô
Vomere, cessuræ foderent quæ viscera terræ.
Transtulit in risum facies hæc visa querelam.
Lugeat orbis inops, & auorum indigna piorum
Infœlix soboles. in Clerum & in horrea Christi,
Inuexere tuas magico non murmure fruges,
Blanditiæ aut fraudes. en sancti fascina Cleri,
Integritas vitæ, môrum decus, aurea virtus,
Ærumnæ, lamenta, cruces, animique parati,
Pro grege, pro Christo sæuis pugnasse Tyrannis.
Abduxit pietas aurum. quod sanguine constat,
Nec gratis confinge datum. compesce dolorem,
Nec pigeat. viuunt, viuunt pietatis auitæ
In libris monumenta Dei, fortasse beatos
Mercede effusâ quondam factura nepotes.

Querela iniqua mundi super opibus Ecclesiæ, Refutatur lepida similitudine

Auitæ magnificentiæ in Ecclesiam merces ad posteros

Quod Patres seuêre, metescum fœnore multò.
Quæ nunc floretis tantô iucunda decôre
Exemplū inRegibus Franciæ. Lilia, & æternum dabitur florere per æuum,
Tanta modò seros ambit quæ gloria Reges,
Numinis haud læui in regnum, magnæque Nepotum
Est equidem pietatis opus: maiora meretur
Qui modò sceptra tenet; tamen & (nec vana fides est)
Magnorum certe meritis debetur auorum.
Congestas etenim tot opes in ouilia Christi,
Inque caput sponsæ diademata, sceptraque Petro,
Atque hinc sceptriferi pia tot magnalia Petri,
Tot quondam exhaustos terræ Pelagique labores,
Sanguinis atque auri sumptûs, vt Roma triumphos
Duceret, in Solymæ priscos inuecta Penates.
Oblitosue Deos? Pipini fræna tenentis
Papalis mulæ immemores? oblita fuimet
Numina sint, fuerint si tantæ oblita salutis.
Nec concessa semel superis, sibi tollere quisquam
Bona Ecclesiæ data nemo impune rapit. Audeat, in prisci reditura hæredis aceruos.
Contrectare nefas Christo sacra. Sacrilegorum
Præda Tolosanó foret exitialior aurô,
Fatalisque nouo Domino.(si credere fas est
Declaratur per casum Promethei. Ratibus) æthereis ignem de sedibus ex quò
Transtulit in terras raptum Iapetia Proles;
Incubuere hominum generi mala, furque Prometheus
In pœnam, à sæuâ iecur immortale volucri
Caucaseâ sub rupe gemit sine fine vorandum.
Possidentium conscientias torquent. E Christi regnô vetitum furantibus aurum
Sors eadem est: diræ mens hos male conscia culpæ
Torquet, & ocultus lacerat præcordia vultur.

Pabulô Egenorum paſtos & ſanguine Chriſti,
Inſomnes circum volitant Chriſtique minantis,
Et miſerûm ſimulachra modis pallentia miris,
Et macie confecta, cibos queritantia raptos.
Ac velut incluſus terræ penetralibus ignis
Carcere detentus cæcô furit, vrit, & eſcam
Omne facit, quod gleba tegit, tandemque reuellens
Fundamenta loci, furiali percitus irâ.
Glebaſque & montes in apertas eiicit auras.
Haud aliter ſæuit Chriſti quod tollitur aurum
Corrodit molem ſenſim vt teredo prophanam,
Sæpe etiam iniuſtas queis clauditur excutit arcas;
Ingenteſque domos poſtquam concuſſit, ab imô
Vertit, & ipſorum ſternit palatia Regum.
Ridebunt forſan proceres, hâc fraude potentûm
Ditatæque domus: ſi quando aduerſa ruinam
Fecerit afflictis rebus fortuna, malignas
In ſtellas, in cœli iras, in fata quiritant,
Segnes incuſant curas, ignara futuri
Conſilia, hoſtiles pugnas, infida ſuorum
Pectora, nec ſubeunt in mentes, abdita Chriſti
Æra ſuis loculis, & opes in viſcera merſæ,
Lachrymæ egenorum, Clamoroſique tumultus,
Ante imploratas vlturi numinis aras.
Hæc tamen euerſi fecêre pericula ſceptri.
Audio quid tandem? in patres Procereſque ſacrorum
Multa incuſatem Mundum, grauiterque querentem.
Mene meum proauoſque meos in templa deoſque
Effudiſſe aurum, Precio fraudaſſe nepotes,
Et zonas vacuaſſe meas, vt gaudeat illô

Fortunas euertunt

Declaratur ſimilitudine ignis incluſi ſubtus terram.

Querimonia mundi ſuper malô diuitiarum Eccleſiaſticarum vſu.

Impius ararum Prædo, Paſcatur abundè,
Luxuriet, pompam faciat, Chriſtoque ſacratæ
Diuitiæ, irriſi fiant iniuria Chriſti?
Proh dolor, ô pietatis opus quam futile! certè
Non erat hos turpes conceſſum munus in vſus.
Arma Stygis modò ſunt, quæ Relligionis honores
Debuerant, multoſque Deo feciſſe triumphos.
Eſt quia diuitiis Eccleſia plena, referta
Et vitiis, parit has pietas, ingrata parentem
Extinguit ſoboles. ita pingueſcente labaſcunt
Fortunâ mores. ô quondam tempora ſancta,
Ex niueâ quando candebat mitra papirô,
Exque rudi ligno lituus, cum fictilis aras
Terreret Chriſtus, nullô violatus & aurô.
Aurea tunc verè pietas fuit, aureaque ætas.
Maiores fecit vitiis opulentia blandis,
Sæua Tyrannorum quàm carnificina ruinas.
Chriſticolæ fuimus, modo nummicolæ ſumus, aurum
Tranſiit in Numen. magnis penetralia templis
Sunt equidem Chriſto, multáque litatur acerrâ,
Oris honos genuumque frequens; at cordibus altis
Quid geritur? certe maior Deus inſidet; aurum
Inſidet, & ſuprà ſtat diua pecunia Chriſtum, Aurum mundi Numen.
Statque premens, curas & amores ſpemque fidemque
Sorbet, agit ſummum tacitâque in mente triumphum.
Non aulâ colitur ſolâ, roſtriſque, foriſque,
Nauibus & caſtris, etiam ſanctiſſima fuluum
Atria Numen habet. lucrô ſine languida torpet
Relligio. Vanas nec in auras iacta querela eſt.
Multi & opes quondam Sancti gemuere repertas,
Mundum

Mundum etiam timuere sibi pia dona ferentem.
At compesce tamen sanctos Ecclesia luctus;
Parce metu, haud etenim absumpta est spes tota salutis.
Est etiamnùm hodie contemptor plurimus auri,
Millia quæ fuluo nec parent mille Baali.
Maluit absque opibus miseram traducere vitam
Quanta cohors? Quantus Christi stipendia miles
Respuit, æterni cui sufficit vtile census?
Mundi diuitias Christi generosa propago
Calcat inops, sanctis degens ingloria claustris.
Est etiamnùm hodiè, sint ferrea tempora quanquam,
Paupertas animi latitans sub diuite cultu.
Est etiamnùm hodiè vestis cilicina sub aurô,
Captata in lautis sunt & conuiuia mensis,
Et furtiua fames. per opes, lituosque, mitrasque
Per currus & equos; nuper Salesius astris
Nonne caput celsum tulit indiges? indiges alter
Thomas? & fulgens in murice Borromæus?
Non aurum mentes, sed amor malus inquinat auri.
Horum sacra premis stabili vestigia gressu,
Sancte parens. auri non te vesana libido,
Sceptrorum male suada comes, tenet. est tibi luxûs
Horror, & in vanos ignota effusio sumptus.
Totum excussisti sanctô de pectore Ditem.
Non equidem pateris sordes septrôue minora,
Nec decet, in cultus nummum Rex spargat honestos;
Nec fortuna pedum nimis erigat: at neque flectat
Sceptra nimis, frangatue pedum. tua siqua superba,
Regiaque in donis est magnificentia, nudum
Eminet in Christum, in miseros. altaria multô

Etiam hoc sæculo multi sunt opum cōtemprores familiæ religiosæ.

In sæculo sunt & diuites, pauperes spiritu.

Tres nuperPræsules canonizati.

Clemens omnis auaritiæ expers.

Effusa Clementis liberalitas in paupetes.

Marmore curabunt alii ponenda, deûmque
Templa, Corinthiacis altè decoranda columnis,
Pontibus incendent fluuios, atque arcibus Vrbes,
Effundent alii nummos in Castra, ferumque
Martis opus: (sed & his non deest sua gloria curis.)
Tota tua in charos stips dispensetur egenos.
Hæc domus, hæc arca est, hæc sacri Æraria census.
Qui censum es nolens, hunc vis superomnia censum.
Clemens nonus nolenscensû. anagramma. Te dum pauper eget, nec dii nec templa morantur,
In lapides viuos insumeris. ô bene Charô
De Christô meritum! namque haud tibi sensus in istô
Mortalis factô: certè descendit ab altô
Auri flamma vorax. miseros si quando videmus,
Sterilis plerumque misericordia. Nos equidem afflictæ tangit miseratio sortis,
Et gemitus damus, at steriles, nec aperta salutem
Zona facit; tamen at cœli nos ignibus vstos
Credimus, inspectus quoniam suspiria mouit
Declaratur lepidâ similitudine. Infœcunda miser: similes errantibus illis
Sidere sub Lunæ procul, & super aëra vastum,
Vnde cinis, nec flamma cadit, scintilla nec vsquam
Fulgurat, arguitur nullô vis ignea signô,
Qui finxere tamen spatiis immanibus ignes.
Christi amor ac fratrum, qui dat nihil, est nihil, ignem
Prodit opus. præsens bis sena cibaria curas
Quotidiana Clemêtis misericordia in pauperes Quotidie tribui; (qui mos solemnis ab olim
Maiorum fuit, at semel annô) cernere crebrò,
Atque oculis lustrare iuuat, quia scilicet vltrà
Squallentes vestes, macilentaque pauperis ora
Nota Fers aciem atque fidem, sacramentumque pererras
Inclusi Christi miserorum in imagine: quantum

Horrescit sub pane fides, obtutibus hauris,
Explerique nequis visû, ardescisque tuendo,
Pasceris & Christô, miseros dum pascis. abunde
Oblatas modo diuitias quâ ceperis arte,
Et quâ mente, patet. Cepisti vt spernere posses,
Vt dare, vt in cœlum precium præmittere cœli.
O fœlicem Te, temnis qui tanta, tenesque!
Est equidem multæ pompæ super omnia regna
Constitui sceptris, tamen est ea gloria maior, Spernere: & hæc magnum decuit victoria Christum. Hâc sine non totos fœlix hausisset honores.
Rex Regum cunctique potens is iure paternô,
Hanc etiam optauit capiti accessisse coronam.
Sic Consummati sequeris vestigia Christi,
Pauperis & Domini. nec res est ardua forsan
In Thaborinô splendentem monte referre,
Vestibus æthereis & amictu solis opertum,
Per dextram Petri, multi vel piscis ab ore
Piscantem nummos, cœloue irata vibrantem
Fulmina: sed nudum sed egentem mente referre,
Hic labor. in nudis etiam ars pictoria sudat.
Non ergò metuant populi ne grande tributum
Principis edicant leges, aut vota Camilli.
Auguriis est si qua fides, est si qua tributis
Sponte relaxatis, operum est & siqua piorum
Haud dubiæ voci, redeunt saturnia Regna
Ausoniæ, Romæque Numæ se more tenentis.
Clementis quos sceptra regunt legesque gubernant
O fortunatos! quibus est moderamine tantô
Aptatum exactoris onus, dum ferrea passim

Clemens refert Christum diuitiarũ Dominũ & contemptorẽ.

Tributorum relaxatio.

Fata premunt, res & faciunt mala tempora duras!
Principis indulsit pietas. in corde suorum
Magnificus sua habet Clemens æraria: fidus
Summum illi vectigal amor. non vestra Quirites,
Quærere vos mens est. veniet labentibus annis
Forsitan & tempus, quando intolerabilis vltrò
Pertæsæ Gentes oneris, pondusque magistrosque
Excutient, ibitque ruens Respublica pessum.
Tunc & dicetur, starent, Clementis ad instar
Si qua nimis duris potuissent fræna tributis.
Audiat hoc orbis Christi, memorentque Nepotes.

Clemens de animarum salute quam sollicitus.

Corpora qui seruas, animas non negligis, alme
Christiadûm Pastor. quas non in pectore curas
Voluis, vt in chari ducantur ouilia Christi?
Sunt vbicumque animæ, Sanctum est extendere mentem,
Extra anni solisque vias, & ad vltima Terræ.
Quippe tui gregis est omnis Gens, sanguine Chrsti
Omne emptum: nullas pia sollicitudo quietes
Permiscet curis, nec habet pius otia somnus.
Pondere dùm rerum premeris, dùm mole laborum,
Qui tibi, qui nobis metuunt, mundique Tuîque
Innocuus quos vrit amor, dixisse feruntur.
Sic ergo grandæue parens, tua, Teque, tuosque,
Haustam vim, exactos sic obliuisceris annos?
Non patitur tantas ætas tua, nec tua curas
Ægra valetudo: nec vi maiora reposcunt
Numina. tu contra. sceptrum qui gestat, oportet

Generosũ Clementis responsum

Sollicitum stantemque mori. preciosior haud est
Vita mihi memet. non est mihi vita necesse,
Cura necesse, laborque necesse, vnumque necesse,

Est æterna salus. ô temporis ære perenni
Vt cœli libris insculpta est, digna notari
Vox, & mente Ducum, regimen quibus orbis ab altô!
Sic te æternet amor Superûm nobisque sibique.
Qui premeris, quem tundit onus, quem tristia torquent,
Non tamen opprimeris: veluti regione beatâ
Dilectæ Ausoniæ, citreas est cernere malos
Tempore brumali, florum frugumque feraces,
Queis nil tollit hyems, lætas vtrisque coronat
Propitius, dextrôque affulgens sidere Titan.
Sic tibi frugiferum senium, sic florida surgit
Canities, victrix brumæ: quam Terra negaret
Vim motumque, pii spirat clementia cœli.
Ac velut Eoo gerulum qui portat ab orbe
Pondus aromaticum, suaui refocillat odore
Ac recreat, quod tollit onus, roburque ministrat;
Mentem animos, vires, etiam sua gaudia cordi
Sic dat odoriferi gestata Ecclesia Christi.

Clementis valetudo summo labore nô opprimitur. Declaratur duplici eleganti similitudine.

Exemplô prodesse gregi, factisque iubere,
Prima regentis laus. Solis compescere mundum
Vocibus, haud ipsi possunt Dii. perdidit orbem
Fama Iouis, non digna Ioue, exemplumque Tonantis,
Dissimile imperiis, ipsum fœdauit Olympum.
Illexit Diuos faciles. nisi Sanguine Christus
Ipse, Deus verus, normas sanxisset, inani
Tentasset curâ culpas explodere Mundô.
Es tu forma gregis, lex viuens, sidus Olorum,
Ex coruis candore tuô facturus Olores.
Humanas in res, non omnia sidera eôdem
Pondere agunt, iisdem nec viribus: est sua cuique

Clementis exemplum.

Sydus ad omnem virtutem influens.

Meta, nec hanc extra fert impetus: à Ioue castum
Expectes frustrà, nequicquam à Marte quietum.
Maius opus signô est. neque fines sideris intra est
Iste labos. sic arcta tui non sideris est vis.
Omne bonum latè spectantûm effundit in ora,
Inque animos, satagitque sui insculpsisse figuras.
Omnem ad virtutem stimulis ciet, hinc tibi tantum est
In splendore tuô captas & sidere mentes,
Imperium: exemplis fecisti in sidere Numen.
Haud secus ac terræ populis Deus alter haberis.

Clemens est imago tota Christi potentis, & sancti.

Dimidia haud etenim es, sed imago tota, potentes
Exprimis & sanctos Superos, qualesque supernè
Hauris demissos: docilem transfundit in Orbem
Iuncta potestati pietas. Christique Petrique
Pontifices sceptrô ac cœlorum claue, ferentes
Altius in terris mundi caput, haud fuit vnquam

Ideo est in singulari veneratione.

Principibus summis studio maiore molestum
Percolere: incorrupta etenim inuiolataque tantis
Sub pedibus manet, est nullôque ingloria næuo
Maiestas: Humiles animos, sanctosque pudores
In Christum referunt, & habet sua præmia virtus.
Attamen in plantis cum non modò magna Potentis,
Ast etiam Sancti lambunt vestigia Christi,
Inclinata magis ceruix, tunc auget honores,
Pontificis pedibus, pedibus dat & oscula sancti.
Gloria sic surgit duplex. Te Maxime Pastor
Clementemque, virumque Dei, sceptróque supremum,
Sed pietate parem, Regum geminata piorum
Suspicit, & totô sequitur reuerentia cultu,
Ire tuas prona in leges, domi●ique, piique,

In prorsum immunes à carne & sanguine sensus.
Ostriferi Proceres tantô Duce & auspice tantô
Exultant, sesèque nouô fert purpura plausu.
Ac veluti Mosis quandò se spiritus olim
Infudit senibus selectis septuaginta,
Visa Prophetarum totidem totidemque videntûm
Cana cohors, implente Deo, quos flamine Moses
Afflabat sacrô, dignabaturque decôris
Parte sui. Haud aliter te sub Rectore Senatus
Igne nouo superûm incaluit, noua Numina sensit.
Scilicet ingentis capitis manauit in artus
Gloria, sidereumque iubar, fortasse loquutus
Quandò nouus Clemens sic es, vel diceris esse.
Qui suprà meritum ac votum nos extulit, altô
De nihilô, ad titulos & nomina qui vocat, ipsi
Gloria, reddantur grates, vobisque, superna
Fata bonis verbis animôque volente sequutis.
Quanta humeris nostris incumbant pondera, nostis
Experti Fratres, Christi Mundique supremam
Rem gerimus, nostræ est Ecclesia credita curæ,
Multis fracta malis, sæuisque agitata procellis:
Exuperat vires modicas onus, absque ope vestrâ
Impar ero: date consiliis sociòque labore
Auxilium, in partes operis, meritique venite.
Sortis & vt vestræ sit non inglorius vrnæ
Exitus, oro, me qualem quantumque putastis
Efficite. à superis equidem, quibus absque, nec à se
Cogitat ipsa boni mens quicquam, expecto supernam
Pronus opem: nec inanis spes, quam vestra fouebit
Votis ac precibus pietas: non deero fauori

Senatus Ecclesiæ Clementis exemplis & Spiritu incensus.

Oratio Clementis ad Eminentissimos Cardinales post electionē

Numinis ac veſtrô, quò me mea cunque vocârit
Cura, lubens ibo, nec me mea vita moratur,
Victima ſum mundi. ſunt facta ſequuta loquelam:
Nam tua ſollicitô ſequitur veſtigia greſſu
Turba Patrum, ſimileſque tui facit æmula virtus.
Stant in conſeſſu Te circùm; vt ſidera ſolem
Stant circum, referuntque ſuum ſua ſidera Phœbum.

Abſens Concilijs intereſt.

Conſiliis quandò non interes, haud tamen abſens
Crederis, abſconſus retrò ſub tegmine veli,
Nube cauâ veluti latitans Deus, aure ſagaci
Auſcultas quidquid geritur, quæ cuilibet ore
Promitur in cauſis & quâ ſententia mente.
Numine ſic tacitô ſanctis illaberis ipſe
Pectoribus, firmaſque bonos, retineſque labantes,
Nulla fit incautis ſic iuri iniuria linguis,
Dum teſtem Te quiſque putat linguaſque probantem.
Sic licet humanæ claudaris limite ſortis,
More Dei immenſi tractas humana, per vmbras
Perque tui dubios agitas haud viſus odores,
Sæpe etiam nullos, ſed adæquat opinio veris.

Clemens omnes inſtruit exêplô maxime præſules.

Artibus his ô quanta mones, quos ſacra coronat
Infula, ſidereâ quos ambit gloria pompâ,
Te Duce ſub ſummo quos ſancta Eccleſia magnos
In populis dedit eſſe Duces, Chriſtique miniſtros!
Eſt etiam his ſtimulus pietas tua, culmine rerum
Te poſitum, Mundo prælucentemque ſequuntur.

Declaratur egregiâ ſimilitudine. Rabbinis.

Ac veluti ſancto ſculptas in marmore leges,
Cum populo quondam monſtraret ab aggere Moſes,
(Antiquis eſt liqua fides) non ſola legebat,
Quæ turba aſtabat lateri, nec ſola timebat,

Legêre

Legêre extremô castrorum â limite turmæ,
Omni erat exemplar sed enim pro Gente, quod es tu,
Haud aliter latè terras splendescis in omnes:
Est vbicumque loci gens Christi flumine mersa,
Suspiceris, legeris famæ laudantis in ære,
Vt Superum côdex. hinc sceptri sceptrifer haurit
Iura, pedi leges Præsul, moresque sacerdos,
Et pius æthereæ monachus commercia Vitæ.
Viuendi gens tota modum: nec sola tuarum
Virtutum simulachra colit: venalia passim,
Et vultus simulachra tui conquirit, in aris
Relligione tenet, pedibusque dat oscula pictis,
Indigetes interque locat, sacrosque Penates,
Nec putat esse nefas. tua queis datur ora tueri,
Et voces audire tuas, vt sensum animosque
Ingrederis, numenque infers in pectora quantum,
Ardoresque pios melioraque nomina recti!
Dicitur inspecti coràm reuerentia vultus
Sæpius in melius versos retulisse nocentes.

Imagines Clementis in magna sunt veneratione.

Atque vtinam sinerent cani, pateretur & ætas,
Sancta morarentur non me monumenta Tolosæ,
Nec patriæ natalis amor, non bruma, nec Alpe,
Non durum terreret iter: cito Roma Quiritem
Esset me visura suum: quòcumque locorum
Te sequerer, turbæ mistus quàcumque sequenti,
Gaudeat vt sancti lætis conspectibus oris,
Sorberîque tui fidus comes, audeo per quem
Obsequii contestem, absens accedere Vates.
A benedicente & nostros exiret in vsus
Forte Dei virtus, sanctæque per oscula plantæ,

Authoris votum.

Tum voti compos, Domini visâ que salute,
Vt Simeon quondam fati securus abirem.
Nec sibi sit soli rector bonus, adsit in omne
Rex est propter populum. Declaratur per similitudinem Solis.
Vtilis officium, non se sibi viuere credat,
Sed populo Gentisque suæ sua cedere fatis
Fata putet. terris equidem Sol altius effert
Luce coronatum rutilâ caput, imperat Orbi,
Esse tamen Solem propter, caue dixeris Orbem,
Humanumque genus, potius mortalia propter;
Circuit æternâ famulus vertigine Terras.
Nonne & seruorum seruus Dux Vrbis & Orbis
Dicitur? est omnes sceptrô super, omnibus idem
Inferior Fatô sceptri. quam postulat Orbis
A soliis, discors, æternaque iurgia passus,
Clemens iustissimus
Iustitiam, tu sancte Parens ad legis amussim
Cuique facis, nec te tangit miseratio sæua,
Instantis ferrô moueat non ira Tyranni.
Cumque palam Mundo celebreris amantior æqui,
Atque tenax, æquas nec iniqua feruntur ad aures
Vota, pudorificas certò passura repulsas,
Nec concedendum dubitet quis poscere iustum
Quotidie ius dicit etiam horis Pomeridianis.
Non tua clauduntur querulis Palatia turbis,
Cuilibet obuia fit suaui perfusa serenô,
Maiestas facilis, non interualla morasque
Iustitii, clamat damno sibi cedere supplex.
Quotidie expositum cunctis nullique negatum
Numen ades præsto, trepidantia si metus ora
Impedit, accessus timuit plebs si qua verendos,
Das animos, prior ipse rogas, firmas titubantes,
Præueniens soluit vinctas & gratia linguas.

Si qua iacet virtus, non tu reus: imputet ipsa
Quas facit aut patitur cœcis ignota latebris.
Chara tibi est quæcumque patet, quôcumque sub astrô
Fulgeat, indigenam censes & honore Quiritem
Prosequeris. rerumque vtinam per fata liceret
Sponte tuâ exlegis mundi componere curas,
Nulla sibi certè sortem damnaret iniquam,
Cuique suo merces operi foret, omnia certe
Ordinibus iusti regeres mortalia cœli.
Quas effundit opes sceptrum, sunt sæpe locatis
Frugiferis similes prærupti in culmine montis
Arboribus, quarum precioso scarpere fructus
Humanis vetitum dextris, quia scilicet extra
Sunt manuum captum protensarumque gradatim
Scalarum metas, ergò sunt præda ferarum,
Fœda vorat cornix, aut sorbet gutture coruus.
Incidit in volucres Aulæ sic gaza rapaces.
Regia; palpones, diros scelerumue ministros;
Extulit ad summum cæci quos aura fauoris:
Nec valet inferius mœrens attingere virtus.
Solus habet miser, aut meritus, quod diuidis aurum.
Inde tibi sincera fides, & fallere dextra
Nescia, pollicitique tenax, fidissima pacti
Relligio, fraudes horres artesque maligni
Temporis, & fictos animis obtendere vultus.
Si simulas numquam simulas probitate relictâ,
More Dei simulas, rerum prudentia prodi
Quæ vetat, innocuæ condis velamine noctis.
Sola placet veri facies. monitoribus Aula
Quos habuit semper raros, occurris, & aures

Iustitia distributiua.

nunquid nosti ordinem cœli & rationem eius pones in terra Iob. cap. 38.

Regiarum opum distributio iniusta. Declaratur lepidâ similitudine.

Fidelitas, Synceritas.

Docilitas.

Inclinas auidas. si quæ, minus apta videri
Contigit, in melius docilis mutata, retractas.
Asper adulantis remoues mendacia linguæ.

Vult præcones Verbi diuini generosos & veridicos.

Christi præcones qui blandimenta per oris
Verba Dei eneruant, qui disciplitura potentûm
Mentibus, expungunt, horres; exprimere mandas
Omne Dei verum, audentes. sint qualis Oliua,
Narnius & qualis, sacri duo fulmina belli

Oliua præpositus generalis societatis Iesu, Clementis cõcionator.

Romulidæ, cladesque stygis, facunda supernô
Ora sonô, magni rediuiua tonitrua Pauli.
Blanda decet magnos etiam clementia Reges;

Narnius Capucinus prædicator Apostolicus trium Pontificũ.

Imperii custos, populorum amor, altera sceptri
Gloria; comprimit hæc animos & temperat iras,
Æquiparat superis homines. hanc nomine sculptam,
Natam corde geris: sumptum est & ab indole nomen:
Qualis es hinc, & qualis eris, traheretur vt omen.
Cum populis sanxit titulô clementia fœdus.
Hæc gentes tibi conciliat, sceptrique timorem
Forsan spreturos subigit dulcedine Reges.
Si rerum quandoque salus septriue, cruenta
Igneaue exposcit grauibus medicamina morbis:
Non equidem diris Clemens præposterus ausis
Ignoscis, tolerasue nefas, sed lege coactus,
Non potes inuitas non indulgere secures,
Nec conculcatas non spargere sanguine normas.
Est leuis, aut nulla est, Clementem iniuria lædit
Si qua, tuo fiat quæcunque iniuria Christo,
Hæc necat, incendit meritos hæc vna furores.

Compatitur omnibus miseris.

Mellea sunt certe tibi viscera. nec miser vsquam est,
Quô cum non sis corde miser. quoties sacra Nymphæ

Arbor

Arbor hamadriadi, sæuâ violata bipenni
Infensi sectoris erat, fert fabula clausam
Intus hamadriadem, passam quodcunque tulisset
Exitium quercus, cognati vulnere fati.
Cum Christo sic tu latitas & amore moraris
Artubus in Christi sacris, quoscunque labores
Et patitur, pateris, quôcunque Ecclesia fatô
Et premitur, premeris. tandem si Candia tandem
Capta sit, heu quantas post se tractura ruinas!
Ne pueri, ne tanta senis male cautus ad aures
Damna ferat cursor, non consultusue tumultus:
Propitiam expectate horam, post sacra, precesque,
Momentum captate Dei, ne nuncius ore
Lethiferô teneræ rumpat fors stamina vitæ.
Acciderit quid quondam Heli, memorate. Sacerdos
Summus erat de Gente Dei, quô tempore belli
Capta Philistæis est fœderis arca triumphis.
Fata domûs cædesque suæ tolerauit, at Arcam
Audiit vt captam, cecidit, lucemque perosus,
Viuere damnauit, captæ est immortuus Arcæ.
Vna viri totos ita traxerat Arca dolores.
Chara minus non est Clementi Candia, quondam
Quam fuit arca Heli. rebus super omnia Christi,
Christiadumque timet: magnorum hæc causa dolorum,
Cura ingens, animi tabes, vlcusque profundum.
Scilicet interitum minitans Respublica, quantis
Fracta malis, exhausta armis; dum Turca Tyrannus
Sceptra rapit versis in mutua viscera dextris!
Post Cretam heu capiet Meliten, Siculisque caminis

Declaratur similitudine.

dolor de Candiæ obsidione, & Turcarum triumphis.

vide lib. 1. Reg. cap. 4.

Prælia Tarpeias fatalia cudet in arces.
Verſatur totus rerum hôc in cardine Clemens.
Faciam domui huic ſicut feci in ſilô Ier. c. 7. Scilicet in Silô reprobô, ſolimiſque quid olim
Fecerit iratus Deus, eſt memor, orbis Eoi
Per Mahumetanas euerſa altaria clades,
Occiduis ſceptris ſimilis præſaga ruïnæ,
Altâ mente manent. Tamen; ô Sanctiſſime Paſtor,
Parce metu nimiô, metuens confide ſupernis
Vide lib. 2. Mach. c. 15 Clementis preces apúd Deum Eccleſiæ quam vtiles. Auxiliis dilecte Deo. Tu noſter Onias,
Tu precibus tutor populi. Tu fulmina Cœli
Vertere; Tu dextram ſæui prepſiſſe Tonantis
Audaci pietate potes, tu fata morari,
Horrida. miteſcet forsàn Deus, irrita forsàn
Fiet, in ingratam ſiqua eſt ſententia Gentem.
In fatis eſt tota tuis miſeratio noſtri.
I, ſequere, incœpto patiens incumbe labori,
Tartareis odiis, ſtygiôque afflata furore
Pectora, iuratas in mutua vulnera dextras,
Tu potes vnanimi reuocare in fœdera nexu.
Iungere Thebæas concordi pace fauillas:
Mille tibi cicurandi artes, tibi mille ciendi,
Puadendique modi, totidemque in vota trahendi.
Ductilis eſt formas audit te quiſquis in omnes.
Abbreuiata Dei non eſt manus: eſt ſperanda
Si qua ſalus, rebus per te eſt ſperanda leuandis.
O deſperatis è cœlo accerſite fatis.
Inuenient & fata viam fortaſſe, parabunt
Ad Reges molles aditus & congrua Petro
Tempora. colloquiiſque vtinam per fata daretur

Ac precibus patriis sacros accedere Reges.
Liligerum adiurare patrem, per viscera Christi,
Per Francas olim Solymæô in vertice lauros,
Per reparaturam Mundi infortunia dextram,
Fata per Europæ, Christi Petrique cadentûm,
Christiadûm sceptris impendentesque ruinas,
Nec velit vrgenti per bella incumbere fato.
Spes per & ingentes Luparæ surgentis alumni,
Delphini per dulce caput, candentis Oloris,
Borbonii per fata, tuô sub sidere sanctæ
Ad vexilla Crucis, fideique arcana vocandi:
Tanta pium, certè victrix facundia natum
Flecteret, & pietas, strictosque reconderet enses;
Tum Christi lucris ius saltem ex parte remissum,
Cederet, & Christo fieret sacra victima fiscus.
Iampridem veriti nec Iberia sperneret oris
Consilia & monitûs: sapiens metuensque pericli est,
Exueret spes incertas animosque tenaces,
Non sponte arreptas facilis deponeret iras.
Quæ mare quæ terras armis Bellona lacessit,
Necquiquam, fureret clausi intra limina Iani.
Haud secus ac sæuis auster Boreasque procellis
Aduersis agitant medias cum fluctibus alnos,
Si placidum exoritur sidus, tranquilla repente
Innocuum trepidis permittunt æquora cursum.
Bella latus Christi sæuo nudantia Turcæ
Nec te sola premunt. vrgent grauiora cruentis,
Quæ rapiunt animas, illæsaque corpora linquunt,
Hæretici Martis quas fert Ecclesia pugnæ.

Reges Christianos in cōcordiam reuocaret si colloquia cum iis haberet.

Hæresis quam sit Ecclesiæ perniciosa.

Sæuius haud aliud ſtygiis ſe ſe extulit vndis.
Flagitium dementis vix eſt medicabile vulnus
Hæreſis, in natoſque Patrum cum ſanguine manat.
Peſtiferum ſcelus! hæc animis innata ſuperbis
Semiſciis, Doctiſue parum, ſuper omnia iuris
Nititur eſſe ſui, legumque exoluere vincla;
Arbitriiſque ſuis normas diſponere veri.
Inimiciſſima Sedi Apoſtolicæ. Ipſa ſibi Deus eſt. onus intolerabile, Petri
Excuſſiſſe iugum, ſolemnis ſemper ab olim
Mos fuit, is primus ſtudii labor. vtque luporum
Ira canes contrà maior furit, haud ſecus illa
Statui Religioſo. Relligioſorum turmas acieſque virorum
Quas habet in populis plures Eccleſia fidas
Auxiliatrices, odiis ferialibus ardens
Inſequitur: vim totam, artes & mille nocendi
Exerit; aduerſam fas ſiquà perdere Gentem.
Nec Regibus parcit. Nec vobis etiam Reges, veſtriſque coronis
Parcitur; haud patitur ſceptrum maleſana feroxque,
Imperii detrectat onus. nec credite fictis
Obſequiis, inuita luit: non poſſe rebellem
Inſultaſſe, facit mitem: ciuilia bella
Sperat, & arcanis furtim ſuccendere flammis
Gaudet, & in regni quærit ſibi funere lauros.
Gallia quos olim paſſa eſt memorate furores.
Ianſeniana hæreſis. Heu tantum prohibere nefas! quod Belgica nuper
Protulit, & monſtrum Francas immiſit in oras,
Quâ potuit face quô ferrô Lodoïcus adegit
In latebras. cæcoque ſilens compreſſit in antrô.
Incuſſere metus etiam ſacra fulmina Petri.

Nec

Nec tamen interiit: sunt hæc viuacia monstra,
Post laceros artus, capitis post damna recisi,
Relliquias, caudamque mouent, lethumque minantur:
Viuit & arcanô nimis heu nocet vsque venenô.
Clam docet, & multas infert vox dira ruinas.
(Egregias sed enim fraudes!) si viuere dicas,
Indignata negat. credi vult mortua, clamat
Primô se extinctam Tarpeiô fulmine pestis,
Vixi ait, & loquitur: quid ais? defuncta loquuntur?
Scilicet extinctam quod clamat fulmine brutum,
Et Putat! ô mentita Orbi, mentita sibique
Impietas, nullo non execrabilis æuo!

Laomedontææ ingressurus mœnia Troiæ
Fatalis cum staret equus, sub tegmine ligni
Viua acies Danaûm cœcâ latitabat in aluo,
Inuasura domos. nec erat non æqua pericli
Suspicio: insidias etiam fraudesque timerent;
Laocoontis erat monitum: tamen arte Sinonis
Credita res, nullos penetralia condere Graios.
Absque animâ & sensu, vacui sub imagine monstri
Sic quanti latitant hostes? multusque latere
Clamat Laocoon; tamen est vt credula plebes
Errorisque tenax, nihil intus inesse pericli,
Iurantes lachrimis & sanctâ voce Sinones,
Laocoontæis præfert malesana querelis.

O quod te memorem monstrum! nec enim tibi lingua
Quæ sonet errores humanos. est ne tibi styx
Patria? nec fortasse suum absque rubore fateri
Te styx ipsa ausit. solos quæ sæua nocentes

A multis extincta creditur non sine periculô.

Declaratur similitudine equi Troiani. vide lib.2 Æn.

Eius præcipuæ impietates.

Excruciat, qui sponte sua, non velle potentes,
Patrauere nefas. stygio tu sæuior igne,
Impulit in noxam quem non vitabile pondus,
Impotem, & haud legi positæ parere valentem,
Conantemque pio nisû vitare reatum,
Nec culpâ fortasse suâ virtutis egenum,
Attamen æternis audes addicere flammis,
Vltoresque probas Superos. ô ferrea monstri
Viscera! inauditæ blasphemia carnificinæ!
Crimine patrato ne mens male conscia noxam
Horreat, & doleat, culpa est si at qua, dolosos
Transferat in Superos, detesteturque nocentes:
Vrit si quando sceleris prurigo, pudoris
Expers ac curæ permittat vt omnia fato,
Securus, vanumque putans pugnare furori,
Egregium inuentum! Dii talem auertite pestem.
At neque quô iactas natum te Patre, superstes,
Si foret, vt prolem modò te pertæsus haberet.
At veluti fœtus horrent, & gaudia partûs
Deponunt matres, vbi tandem innotuit; Orbi
Non hominem, ast aluô dirum serpsisse colubrum,
Horrificas etiam fundunt in viscera diras,
Et serpentinas abolent per funera proles.
Execraretur sic te fortassè, videret
Si genitor, non quam patriô deceptus amore
Censebat pulchram sobolem; sed fulmine Cœli
Ambustam, & multi squallentem horrore reatûs,
Damnaretque nefas genitum, flammisque piaret.
Ergo age & hos etiam sanctissime Pastor in hostes.

Si viueret Iansenius, damnationi suæ doctrinæ per Sedem Apostolicam subscriberet.

Exue Clementem, Zêlanti percitus irâ,
Excandescentem sanctè ferus indue Mosem,
Sacrantemque manus errantûm cæde cruentas.
Est & fulmineo sua laus quandoque furori.
Et Deus interdùm desuetas ardet in iras.
Te spernunt monitûsque tuos: & tertia torque
Fulmina, si fert res. penitus quæ contudit hydram,
Non fax vna fuit, repetitis ignibus actum est,
Fulmineque haud vnô. nos Christi exempla sequutos,
Æthereamque ausos terreno in corpore vitam
Moliri, insani citrà commercia Mundi,
Innocuos sancto desudantesque labori,
Sæua palam, clam sæua, omni nos Marte lacessit
Hæresis, atque odiis haud exaturata quiescit.
At quæ bellorum causæ, causæque dolorum?
Nosne rei sacræ pingues conquirimus aras?
Aut sibi quæsitos auidi captamus honores?
Nostraue mundanum minuit possessio censum?
Insidet aut capiti quia crebrior infula nostrô
Inuidiam mouit? nos conculcata iacemus
Turba lubens, nostri propter ludibria Christi.
Cuncta hilares, nulloque graues à pondere terræ,
Liquimus, & totas haurit spes cœlica curas,
Te propter monstrum infensum; te propter eundem
Errore illusæ Gentes, odêre. quid vltra?
Inuisæ monstro sumus insons victima Romæ,
Prælati sociis luimus fastigia Petri.
Esse tuam sobolem, Christo Petroque fidelem,
Culpa fuit, quotquot pateris, toleramus & hostes.

Iansenistæ Ordinibus Religiosis immeritò infensi.

Ergo ades & propius Clemens res aſpice noſtras,
Eripe nos his ſancte malis; potes, & tibi Chriſtus
In conculcandos ſceptri dat iura dracones.
Non nos Romuleam cum Brennô obſedimus Vrbem,
Non Capitolinam Senones inuaſimus arcem,
Non nos in ſummum linguas calamoſque tribunal
Strinximus, aut ſtygias in Petrum effudimus iras.
Non Caluiniſtæ Blondelliſtæue recentes.
Caſibus in regni variis, Regique, Deoque
Illibata fides manſit. nos ſanguine & ipſo
Sceptrum, nos Chriſti ſacras defendimus aras.
Audeat, ô mores! ô tempora! coruus Olores
Carpere, & in niueas cornix crocitare columbas?
Et tua res, & noſtra agitur, fortiſſime Clemens.
Non equidem non ſunt maculis ſine tanta piorum
Agmina nec Cœlo puræ ſine corpore mentes,
Haud vllum fecere nefas. tu rore paterno
Ablue, nec medicos adhibe languoribus, hoſtes.
Nec liceat turbis in eremi ſacra profanis.
Tum manibus purgata tuis, pietatis odores
Emittet quantos hortorum gleba tuorum!
Perfundent populos latè, Cœloque placentes
Nec forſan tibi damna ferent. vbicumque locorum
Hæ tibi ſollicitæ votis lachrimiſque cateruæ,
Numinis expoſcunt animos vultuſque benignos.
Quanta tibi noſtris paſſim cadit hoſtia dextris?
Qualeſcunque, tibi clypeus ſumus, impia tela
Hæreticæ gentis, ſceptrumque pedumque terentis
Perferimus: lætique tuos ſacramus honores.

Petre

Petre graues Romæ ſemper miſerate labores,
Qui vigil æternâ Luſtras Capitolia curâ,
Cuius ad imperium ſurxit de funere quondam
Tabitha egenorum mater rediuiua precantûm:
Et tua languores etiam expulit vmbra, moraſque
Mandauit letho, ſeroſque remiſit in annos.
Per ſi qua eſt, vt multa tua eſt, ſuper aſtra poteſtas,
Patrem & egenorum Clementem, in ſæcula ſerua
Incolumem, & tantæ produc pia ſtamina vitæ.
Ille tui ſceptri decus eſt, nec Romula quondam
Vllo maiori ſe Gens iactauit alumnô.
A ſuperis veteres miſſus reparare ruinas.

Oratio ad D. Petrũ pro incolumitates Clementi Vide Act. c. 9.

Tu quoque ſancta Parens, pia noſtris annue votis
Vt cultus augere tuos, vt grandius Orbi
Nomen thure nouô ſatagit clareſcere Clemens:
Fallor &, an ſpondent laudem hæc præludia ſummam?
Hic vir hic eſt qui ritè tuos complebit honores,
Quemque per eſt addenda tuis manus vltima fatis.
Te propter Mundo datus eſt; eſt ſidus Olorum:
At tu nonne Olor es, mentes candore ſupernas
Quæ ſuperas, niueumque refers quæ proxima Chriſtum:
Ergo etiam tibi ſidus erit, mundiſſima Mater
Innocuis abſit dolus atque iniuria verbis:
Et nato quoque ſtella fuit mortalis, & olim
Hâc præeunte, miſer, lachrimans & ab vbere pendens,
In ſtabulô verè patuit Deus, & pia thura
Suſtinuit, cultuſque Dei. ſic tu Dea certè
Candida, nullius fuſcata nigredine culpæ,
Sidere Clementis Mundo reſerante patebis.

Oratio ad Beatam Virginem pro eiuſdẽ ſalute.

Clemens B. V. ſine peccato Conceptæ deuotiſſimus.

Eius officium cum octauâ celebrandi nouas leges emiſit.

Clemens B. Virginis ſidus.

X

Quod supereſt vnum, tua pura exordia pandet
Lux noua, prætentas fonti purgabit & vmbras.
E tenebris indago recens, natalia Nilì
Qualiter eduxit, dubio patefecit & Orbi.
Occidat heu ſplendere tuos quod fecerit ortus
Sidus, & immiſſas Tarpeiâ luce tenebras
Diſpulerit? ſtet per Petri per Neſtoris annos:
Neſciat occaſum, ſuperet poſt funera Mundi.

Fr. LEO BACOVE, Reg. Obſeruantiæ S. Franciſci,
Prouinciæ Toloſanæ, Theologiæ Lector emeritus,
& Exprouincialis, Concionator Regius.